



Acerca de este libro

Esta es una copia digital de un libro que, durante generaciones, se ha conservado en las estanterías de una biblioteca, hasta que Google ha decidido escanearlo como parte de un proyecto que pretende que sea posible descubrir en línea libros de todo el mundo.

Ha sobrevivido tantos años como para que los derechos de autor hayan expirado y el libro pase a ser de dominio público. El que un libro sea de dominio público significa que nunca ha estado protegido por derechos de autor, o bien que el período legal de estos derechos ya ha expirado. Es posible que una misma obra sea de dominio público en unos países y, sin embargo, no lo sea en otros. Los libros de dominio público son nuestras puertas hacia el pasado, suponen un patrimonio histórico, cultural y de conocimientos que, a menudo, resulta difícil de descubrir.

Todas las anotaciones, marcas y otras señales en los márgenes que estén presentes en el volumen original aparecerán también en este archivo como testimonio del largo viaje que el libro ha recorrido desde el editor hasta la biblioteca y, finalmente, hasta usted.

Normas de uso

Google se enorgullece de poder colaborar con distintas bibliotecas para digitalizar los materiales de dominio público a fin de hacerlos accesibles a todo el mundo. Los libros de dominio público son patrimonio de todos, nosotros somos sus humildes guardianes. No obstante, se trata de un trabajo caro. Por este motivo, y para poder ofrecer este recurso, hemos tomado medidas para evitar que se produzca un abuso por parte de terceros con fines comerciales, y hemos incluido restricciones técnicas sobre las solicitudes automatizadas.

Asimismo, le pedimos que:

- + *Haga un uso exclusivamente no comercial de estos archivos* Hemos diseñado la Búsqueda de libros de Google para el uso de particulares; como tal, le pedimos que utilice estos archivos con fines personales, y no comerciales.
- + *No envíe solicitudes automatizadas* Por favor, no envíe solicitudes automatizadas de ningún tipo al sistema de Google. Si está llevando a cabo una investigación sobre traducción automática, reconocimiento óptico de caracteres u otros campos para los que resulte útil disfrutar de acceso a una gran cantidad de texto, por favor, envíenos un mensaje. Fomentamos el uso de materiales de dominio público con estos propósitos y seguro que podremos ayudarle.
- + *Conserve la atribución* La filigrana de Google que verá en todos los archivos es fundamental para informar a los usuarios sobre este proyecto y ayudarles a encontrar materiales adicionales en la Búsqueda de libros de Google. Por favor, no la elimine.
- + *Manténgase siempre dentro de la legalidad* Sea cual sea el uso que haga de estos materiales, recuerde que es responsable de asegurarse de que todo lo que hace es legal. No dé por sentado que, por el hecho de que una obra se considere de dominio público para los usuarios de los Estados Unidos, lo será también para los usuarios de otros países. La legislación sobre derechos de autor varía de un país a otro, y no podemos facilitar información sobre si está permitido un uso específico de algún libro. Por favor, no suponga que la aparición de un libro en nuestro programa significa que se puede utilizar de igual manera en todo el mundo. La responsabilidad ante la infracción de los derechos de autor puede ser muy grave.


Acerca de la Búsqueda de libros de Google

El objetivo de Google consiste en organizar información procedente de todo el mundo y hacerla accesible y útil de forma universal. El programa de Búsqueda de libros de Google ayuda a los lectores a descubrir los libros de todo el mundo a la vez que ayuda a autores y editores a llegar a nuevas audiencias. Podrá realizar búsquedas en el texto completo de este libro en la web, en la página <http://books.google.com>

NATIONALBIBLIOTHEK
IN WIEN

152356-B

ALT-



137. H. 36.

HENR. ERNEST. KESTNERI,


JC. & P.P.

CONSPECTUS
PRUDENTIÆ
LEGISLATORIÆ,

In quo

VERA JURISPRUDENTIÆ
PRINCIPIA EX NATIVIS SUIS
FONTIBUS DEDUGUNTUR.

Anno



1710.



RINTELLI,

Sumtibus & Typis HERMANNI AUGUSTINI ENAX,
Acad. Typographi.

V I R O
Illustri & Excellentissimo,
DOMINO JUSTO
HERMANNO
VULTEJO,

Serenissimi Potentissimiqve Hasfiæ
LandGravii Vice-Cancellario
Gravissimo.

Fautori suo Honoratissimo.

Tractatum hunc sincerâ mente
manuqve dat, dicat, dedicat

HENR. ERNEST. KESTNER.

Illuſtris & Excellentiſſime
Domine Vice-Cancellarie,

Fautor Honoratiſſime,



Non ægre feres, quòd hanc qualemcunqve
opellam meam, pro juvandis studioſæ juven-
tutis commodis adornatam, Illuſtri Tuo No-
mini inſcribere, meamqve hâc ratione obſer-
vantiam, quâ multifario ex nexu Tibi obſtrictuſ-
ſum, teſtari audeam. Magnum eſt Vulteorum nomen, **Qui**
& virtute ſuâ admirabili, & ſcriptis nobilioribus, & conſiliis
feliciſſimis jam dudum immortalitatem Nominis ſui, famam-
qve, per omne ævum duraturam, provocarunt. Magna
pariter ſunt, ſi ad domeſticas tranſire licet rationes, beneficia,
quæ & ab Illuſtri Fratre Tuo, & a Magnifico Marpurgenſi
Vice-Cancellario, & a Te etiam in me toties toties proſecta,
Qui præclarum ſemper, quod mihi inſtar omnium eſſe poterat,
de ſtudiis meis Judicium tuliftis, iisqve vitam & ſtimulum de-
diſtis, & non ſemel fortunæ meæ rationem habuiſtis. Inter
cætera ſolatia, quibus publicos qualemcunqve ſtudiorum
meorum laborumqve conatus ſuſtentavit hætenus, vel etiam
ornavit numen benigniſſimum, Magnorum Virorum amici-
tias ac neceſſitudines adeo ſemper reputavi, ut potiſſimo fere
loço habuerim. Quemadmodum enim mihi de favore tum
oretenus, tum in ſcriptis benevole, ſæpiuſqve ad me datis,
declarato, Illuſtriſſimorum & reſpective Illuſtrium Virorum,
ex quib⁹ aliquos mors acerba non ſine inſigni Reipubl. damno
abſtulit, aliquos autem divina adhuc clementia in florentiſſimo

rerum & Reipubl. statu conservat, nimirum *Dn. Comitis de Kunevitz, Dn. Dn. L. B. de Görtz, Dn. Dn. Danckelmannorum, Dn. L. B. de Fuchs, Dn. de Ilgen, Dn. L. B. de Prütz, Dn. Hugonis, Dn. Gæddei, Dn. Strykii, Dn. Cocceji, Dn. Thomastii, Dn. Leibnitii, Dn. Henniges*; aliorumque, animatus gratulor, & non sine insigni lætitiæ sensu recordor, ita pariter, Vir Illustris, de Tuo favore mihi quævis fausta promitto, Teque inter tanta nomina non sine Tuo merito, meoque gaudio, lætus colloco. Possena hic equidem in laudes Tuas excurrere, sed, cum omni laude major sis, nec laudes ames, nolui vel modestiam Tuam irritare, vel id suscipere, ad quod me imparem sentio. Id tamen & ipsa veritas, & bonum publicum à me extorquent, ut incomparabilem Tuam Jurisprudentiam, non ex lacunis Doctorum, sed ex veris principiis haustam, &, quæ hanc non potest non sequi, promptissimam in causis decidendis felicitatem, in summis curiis Heidelbergensi & Hassiaca ad apicem perductam, merito concelebrem. Quanta Jurisprudentiæ modernæ, in haud exigua sui parte vulneratæ, calamitas sit, neminem fugere potest, ut adeo eorum conatus, qui ruenti, & indies grassanti, huic malo placidissime tamen, (nam nec pedantissimus nec scholastica subtilitas apud saniores applausum adinveniunt,) obicem ponere intendunt, si non plenior approbationem, saltem veniam, donec meliora tandem aliquando conspiciamus, mereantur. Ego, quod superest, gloriosis Tuis rebus quævis fausta & felicia, constantem in tantis negotiis sanitatem, lætissima incrementa, & omnia omnis felicitatis argumenta ex animo precor, qui sum, dum sum

Illustris Excellentissimique Tui Nominis

Dabam RINTELII,
d. 20. Sept. 1709.

fidus Cultor

HENR. ERNEST. KESTNER,



*Ps*a commentatio hæc

qualiscunqve de Prudentia Legislatoria, angustis inclusa verbis, instar præfationis esse, aut præfationem augustissimæ materiae, hæctenus non sine summo Jurisprudentiæ damno aut neglectæ, aut parcius tractatæ, representare poterat. *Causas quodammodo retulimus in §. 2. & 43. Potissima est, quod, neglectis veræ cujusdam politices principiis illi, qui amplissimum Jcti titulum aut tenent aut affectant, intra sola Juris Romani pomeria delitescant, & ex hoc solo omnem justitiam & injusti scientiam petendam esse, autument. Quam verò à vero hæc ipsa hypothesis aberret, id à Summis Viris Hotomanno, Balduino, Mynsingero, Strykio, Kulpisio, Thomasio, aliisque, abunde satis demonstratum, & alibi à nobis ostensum, cum febriculosum valde sit, ex peregrinæ gentis legibus, moribus & institutis, quæ particularem aliquam Rempubl. tangunt, si non angunt, hanc rem deducere velle. Ridiculum profecto est, inquit Dn. de Unversfâhrt in Pæd. Jurispr. Universi, p. m. 42. In notitia unius civitatis juris, v. gr. Romani, seu forensis, veram Jurisprudentiam collocare, quasi illam qui teneat, idem pro vero Jctio habendus sit. Quin, quotusquisque est, qui apertos Juris Romani nævos, Rempubl. nostram graviter prementes, nesciat? Dolendum vehementer, Justinianum illætabili literariæ reifato, pro integris illis operibus excerpta quædam, pro Clarissimorum Virorum luminibus illam legum aliarum super alias coacervatarum multitudinem nobis transmississe, quæ recentioribus seculis tantam commentariorum molem peperit, quorum utinam aut minorem habeamus copiam, aut non videamus imminere majorem. Neque etiam sufficet,*

si vel

si vel responsum aut sententiam cum rationibus decidendi concipere, brocardica in iis allegare, Doctores Doctoribus cumulare, & quod pro summa reputatur eruditione, casum in terminis aut decisionem, ad casum prorsus quadrantem, adinvenire valeas. Graviora sunt, quæ ad hanc nobilissimam scientiam requiruntur, subsidia. Præstat enim heic Creatoris, (quatenus eam humana imbecillitas attingere potest,) tum creaturæ, tum humanarum actionum, tum Reipubl., tum civium, tum illius, quod Reipubl. necessarium, utile & proficuum est, cognitionem penitus hausisse. Maxima Philosophia est, se ipsum nosse. Verum quidem est, quod, si mortales castum purumque amorem tenerent, Deumque ante omnia, proximum vero tanquam se ipsos amarent, omnis vox juris facile cessaret, atque tranquillam & sat sufficientem vitam degere possint, sed hæc in tanta hominum pravitate, & affectuum corruptissimorum turbine, magis speranda, quam impetranda sunt. Indeque in hac mortalitatis umbra, si non perfectissima, (nam scientia nostra saltem particula aliqua est,) tamen illa, quæ his proxime accedunt, magis magisque urgere, & penetrare debemus, laborandum, quantum possumus, ibant quo poterant: Atque hoc etiam est, quod in presenti instituto tentare voluimus, ubi sponte fatemur, quemadmodum ipsa quoque allegatio, ipsaque materia abunde satis docet, nos multa, imo plurima debere doctissimis Illustris Celeberrimique Thomasi opusculis de Fund. Jur. Nat. & de Prud. Jct. Consultatoria. Quæ, utut quidem in multis obvia, & ab aliis alibi quoque tractata exhibent, accurato tamen ordine maximoque judicio, doctrinâ, arte, & ingenio congesta & demonstrata sunt. Incidit quoque in manus nostras ejusdem famigeratissimi Viri collegium manuscriptum de Prudentia Legislatoria, ex quo cum pace Viri Summi illa, quæ de legibus Mosaicis §. 35. 36. 37. seqq. adduximus, sunt hausta. Optandum sane foret, ut Vir Illustris, jam majoribus curis destinatus, datam fidem exsolvere, atque hanc perelegantē

ne-

necessariamque materiam in formam artis redigere valeret. Utinam omnis populus divinaret, illaque, quæ utilia sunt, tractaret, ita forte melius starent judicia. In ipso opusculo rem potius, quam scholarum scrupulosa nimis præcepta exhibuimus, non, quod nulla definitio in jure sit, quæ non sit periculosa, uti vulgo autumant ex l. 202. ff. de R. I. cujus longe alia sententia est; sed, quia Juri rebus magis explicandis, quam verborum inania sectando, jura & rem ipsam tractare solent. Veritas non indiget ambitiosis sesquipedalibusque verbis, aut metaphysicis sonis, sensum nullum habentibus, quin potius ad confundenda præclara ceteroquin ingenia, & ad stabilendum regnum scholarum adiuvantis, sed simplicissimis passim verbis, quæ homo mediocris saltem ingenii intelligit, ostendi & potest & debet. Quæ veritati operam dat oratio incomposita esse debet, & simplex, monente Seneca epist. 40. & 49. in f. Origo errorum inde potissimum fluit, quod obscuris veritatem verbis exhauriamus. Indeque citra verborum & terminorum conflictum, primùm necessitatem & dignitatem disciplina, deinceps vero hominis humanarumque actionum naturam, passiones, affectus, ut & ipsius corporis fabricam quodammodo exposuimus. Nam, quemadmodum turpe est, Juri in foro versari, & tamen jus fori ignorare secundum Pomponium in l. 2. §. 43. ff. de O. I. Ita turpe est, hominem esse, & tamen, quid sit homo? nescire. Hisce præmissis, necessum erat, ut normam, quæ genus humanum in universum obstringat, penitus investigemus, qualis non alia esse poterat, quam sanctissima summi creatoris voluntas, quæ, cum ex invictis ejusdem factis, natura humana impressis, constet, nullam admittebat exceptionem, Deo enim, ut recte Groti^o loquitur in Proleg., sine exceptione parendū est. Magna autem inter rationem & revelationē intercedit differentia. Quare limites utriusque examinari, insuperque, tum existentia divina, tum autoritas SS. Script. plenioribus rationum fulcris demonstrari debebant, in qua materia Dn. Roelii & Dn. Rechenbergii argumentis usi fuim^{us}. Quamvis enim hæc ad forū theologicum spectent, debebant tamen Studiosi juris, solida Jurisprudentia fundamenta apprehensuri, nō illotis ea manibus tangere, sed maturè tam necessaria principia excolere. Consideratā
itaque

ita quærationis, revelationis, iusti, decori & honesti differentia, ad ipsam materiam transitus sit. Ubi, stabilità Imperii civilis necessitate, fundamenta & principia Jurisprudentia legislatoria deducuntur: exponitur deinceps præstantia legum Mosaicarum, status felicissimus & simplicitas populi Judaici, mores Germanorum, quomodo totus Romana Jurisprudentia ambitus ad paucula capita redigi? An leges Mosæ hodie rursus introduci possint? Leges Ægyptiorum, Charonda, Locrensis, Draconis, Lycurgi, Status Ecclesie Romane, Monarchia Turcica, Jura Gentium Europeanum, Prudentia Legislatoria Christianorum, ejusque navis. Subjicitur materia de interpretatione, ejusque requisitis, ut & de applicatione juris ad factum: sequitur prudentia Jurisconsultatoria, fragmentum aliquod Thomasi operis. Tandem agmen claudis breviarium ex elegantissimo tractatu de nova methodo docenda discendaque Jurisprudentia, quam ante 40. annos construxit, & uti solet, solide deduxit Vir Summus Dn. Leibnitius, Fautor noster honoratissimus. In omnibus autem, qualitercunque hęc expostis, quid rationale, qualis rerum causa, quis effectus, quis finis, quid justum, quid bonum, quid utile sit, inquisivimus, indeque disciplinis, ad hunc seepum necessariis, usi sumus. Logica explicat, discernitque verum a falso, Ethica bonum a malo, Politica utile ab inutili, Jurisprudentia justum ab injusto. Non diffitemur autem, plura accuratius scribi dicique potuisse, plurima ad hanc disciplinam spectantia restare, plurima emendationem desiderare, sed non omnia possumus omnes, conspectum seu lineamenta scripsimus, non commentarium. Neque etiam ægre feram, si quis vel in melius hanc disciplinam transformaverit, vel errores, si quos in meo opusculo, ex doctiorum principis consarcinato, & saltè, quoad primà fundamenta demonstrato, placide & amice notaverit, errare humanum. Illud autem longe absonum, & imbecillis animi indicium est, in syllabarum aucupationibus, aut criticis verborum stricturis gloriam venari velle. Sapiens Vir res, non verborum corticem, respicit. Imo, ne de vitis typographicis, aut correctorum, dicam, quid facilius est, quàm in hisce labi, ubi vucula, etiam pueris nota, perversè impressa, vel ex penurià temporis prætervisa est, cum illa, quæ proprio construximus aut congestimus Marte, adeo nobis videantur familiaria, & in sensum incurrentia, ut actū typis expressa putemus, quæ tamen contortè exhibitæ erant prelo. Neque impedit, aut dubium quoddam movet, quòd, quæ adduximus, maximam partem philosophica sint, & præsupponantur. Utinam talia & alià præsupponi possent. Properant statim juvenes multi, vix absolutis cum fructu trivialibus studiis, ad Institutiones Justinianicas & Jurisprudentiæ Struvianam, cum, quid sit justum, quid injustum, quid leges, quid actiones humane, plane nesciant, cū tamen hæc vera & intima sit philosophia, merito præmittenda, nonnente Ulpiano in l. 1. ff. de J. & J. Vale lector B. studiisq. vestris fave.



§. I.



A studiorum norma, & æterna propemodum lex esse debebat, ut studia nostra in Dei gloriam & Reipubl. utilitatem tendant, sin secus fit, ut sæpius fit, studia non stu-

*Dignitas
Prudentia
Legislatio-
ria.*

dia, sed temporis sunt dispendia, & inania speculationum involucra. Agnovit hoc *Pufend.* quando in pereleganti *de Offic. Hominis & Civis* tractatu l. 2. c. ult. *de Off. Civium* §. 9. de scientiis in vita civili tradendis, recte monet, omnem scientiam humanam inanem esse, ex qua nulla in vitam humanam & civilem utilitas redundat. **Q**uia, cum vita nostra angustissimis inclusa sit terminis, gloriosis & negotiosis, non vanis ea terenda erat actionibus. Inter ea autem studiorum adminicula, quibus arduum Jurisprudentiæ studiū & juvari & exornari potest, imo debet, haud inanem, sed maximum fere locum tenet Jurisprudentia Legislatoria, non sine gravissimo seculi damno à multis neglecta. Cùm tamen hæc ipsa scientia præstantissima, generiqve humano utilissima sit, citra quam de lege ejusque valore, an necessaria? an utilis? an rationabilis? an Reipubl. congrua sit? judicari nulla

A

ratio-



ratione potest. Quid enim juvat immensa legum volumina blaterare, & tot infinita commentariorum plaustra recitare velle, si hisce subsidiis, & quid proprie lex sit, quomodo, & quia de re ferri, statuique humano, seu magnæ isti, uti Grotius loquitur, societati attemperari debeat, destitutus fueris; nihil equidem prudentiæ legislatoriæ magis proprium, quam per bonam ordinationem optimas leges, & vicissim per bonas & convenientes leges optimam & convenientem Reipubl. formam atque ordinem inducere. Quin hæc universalem complexum illius, quod justum quodve injustum est, continet, eaque exhibet principia, quibus Respubl. regi, & in tranquillo conservari debet statu. Quare de necessitate tam illustri disciplinæ vix dubitandum. Sunt Academiae seminaria Reipubl., in quibus si non legislatores, saltem Consiliiarii legislatorum, in legibus tum ferendis, tum emendandis sæpius occupati, & firmari & formari debent. Certe cognitio ista ad viros civiles proprie spectat, qui optime norunt, quid ferat societas humana, quid salus populi, quid æquitas naturalis, quid gentium mores, quid Reipubl. diversæ formæ, ideoque de legibus ex principiis & præceptis tam æquitatis naturalis, quam politicis decernere possint.

*Causa,
quare hæc
disciplina
hactenus
neglecta.*

§. II. Causa vero, quare tam insignis tamque nobilis doctrina hæctenus manserit inexcultra, non una, sed multifaria est. Equidem, qui interesse Cleri, pristinis temporibus ex ratione politica hanc artem supprimētis, qui mixturā & exinde subortam

con-

confusionem doctrinae communis de prudentia, arte, astutia, & omnibus habitibus intellectualibus, vix sensum post se relinquentem; quin & diversos legum conceptus, multis erroribus involutos, exactius pensaverit, facilem hujus rei rationem penetrabit. Putabant Veteres, jam dudum à *Pufendorffio* confutati, prudentiæ, circa contingentiam actionū humanarum versantis, non dari demonstrationem. Quia omnes actiones humanae sunt accidentia, certitudinem definitam substantiam non habentia. Verum, quamvis ipsa prudentia exactis doceri non possit regulis, possunt tamen regulæ generales, & perspicua imprudentiæ facta ad oculum tradi, & quomodo hæc evitare debeamus, demonstrari. Singularium quidem nulla datur demonstratio, at datur tamen etiam de singularibus demonstratio ex principiis universalibus, imo ex plurium singularium consideratione nascitur demonstratio universalium. Cum etiam antiquissimis temporibus Philosophi ultra Aristotelem, (cujus de legibus & consiliis libri jam dudum perierant,) Icti ultra corpus Juris sapere velle, pro piaculo haberent, Theologi verò insertum inter articulos fidei caput de legibus divinis mira vanitate, ex Philosophiæ Scholasticæ quisquiliis petita, inquinarent, & hæc monstra pro articulis fidei haberent, parum incrementi sentire potuit scientia hæc nobilissima. Illud cum primis, quod Ictos, vi nominis & observantiæ hanc artem sibi vindicantes, concernit, longe frigidum est, hæcce principia ex Legibus Romanis, iniquis nævis

laborantibus, derivare velle, quod enim Jurisprudentia Romana multis in casibus à jure & æquitate naturali recedat, & ne ipsius quidem Status Romani, per leges administrandi, accuratam mensuram adimpleat, id uti uberius alio in loco diximus, ita vanum certe foret, & longe supersticiosum, lex peregrinæ gentis, diversæque indolis legibus, in quibus paucissima Jurisprudentiæ Legislatoriæ vestigia deprehendere licet, domesticas construere velle rationes, & vivendi regulas. Facti hac, quod *Dn. de Unversährt in tr. de Pedia Jurispr. Univ. c. 2. §. 4.* notat. Alii existimant, leges Romanas, & quidem Justinianæas, quæ Civilis Juris nomen per excellentiam adeptæ sunt, novisse, id esse Jus Civile veramque Jurisprudentiam tenere. Quod tamen jus non usquam terrarum, nisi aliqva sui parte, & quidem exigua, vim legis amplius obtinet. Alicubi nullum illi pretium esse Viri magnæ eruditionis probant, ubi vis Statuta & Consuetudines domesticas prævalere, & rebus publicis liberam esse potestatem jus illud vel de novo acceptandi, vel rejiciendi, etsi jam quodantenus receptum, asserunt, perinde atque passim observes, quamvis peritissimos Juris illius, ipsi pares Cujacio, in foris nostris exiguum admodum posse, causæ sive agendæ sive judicandæ fuerint. Hujus perquam multa novisse, perinde ferme est atque Atticas aut Spartanæ leges novisse.

De Variis Prudentia Speciebus.

§. III. De Prudentia Legislatoriæ acturis necessum est, ut vocabulum prudentiæ paulo propius innotescat. Tametsi vero inter sapientiam & prudentiam



dentiam operosa constituitur differentia, siquidem illa rerum divinarum, hæc humanarum contemplatio audit, illa respicit naturam boni, præceptaque tradit, quomodo id consequi, & à via stultitiæ in viam sapientiæ pervenire, ac in ea progredi debeamus; hæc respicit cautionem à deviis & impedimentis actionum bonarum; divinæ tamen literæ satis aperte docent, sapientiam & prudentiam, utut concipiendi modo differant, unum idemque, vel unum non esse sine altero. Et quamvis per intellectuales exercentur actus, fontes tamen earum non tam in cerebro vel intellectu, quam in corde seu voluntate quærendi, *vid. Sap. I, 8.* perinde, sicut essentia Dei non in speculando, sed in actione & amore occupatur, ita etiam sapientia & prudentia in simili amore, & observatione voluntatis divinæ consistunt, Pietas sapientis se maxime exerit in vita virtuosa, hæc vero nunquam separata est à pietate. Pietas sine virtute superstitio est. Virtus sine pietate Atheism⁹. Virtuose vivit sapiens, ut satisfaciatur voluntati divinæ, quæ consecutionem veræ felicitatis posuit in vita, secundum regulas virtutis instituta. *Dn. Thomas, in tr. de Jure Consulit. Prudent. cons. cap. I. passim.* Tres prudentiæ species sunt, *Consultatoria, Legislatoria & Judicialis*; Illa bonum à malo separat, ista jus statuitur, hæc applicatur, ad illam & istam major requiritur prudentia, cum res adhuc sit futura & incerta, quæ in hæc magis certa & consistens est. Nobilissimum Jcti officium est consulere, nam Prudentia Legislatoria est species consultatoriæ, & sic prudentia con-

consultatoria in instituto hoc nostro præmitti quidem potuisset, imo debuisset. Verum, cum methodus ordoque tractandi disciplinam sit arbitrarius, modo, sive id prius sive posterius fiat, genuina disciplinæ cujusdam fundamenta & principia exhibentur; quare, perspectis, quæ tum ad Legislatariam tum ad Judiciariam prudentiam requirebantur, lineamentis, principia prudentiæ consultoriæ pariter degustabimus, adjecturi in fine subsidia ad hanc, totamque Juris disciplinam necessaria.

*De Indole
Jurispru-
dentia.*

§. IV. Tota Jurisprudentiæ vis ejusque diffusissimus ambitus in legibus ferendis, interpretandis, & ad factum applicandis consistit, quo pax in societate humana conservetur; turbata autem restituitur. Dispescitur vulgo in Universalem, specialem, veram, simulatam & vulgarem. *Universalis* est, quæ per totum mundum diffusa, omnibusque gentibus ac populis communis, artem ipsam politicam, quæ jure legibusque constituendis Respubl. regitur ac gubernatur, comprehendit. *Singularis* est, quæ circa unius alicujus populi Jura legesque, ex arte generali deductas, versatur. *Vera Jurisprudentia* est, quæ certâ viâ ac ratione certisque principiis, ex natura notatis, constat, unde non errans & vaga opinio, sed stabilis firmaque scientia existit. *Vulgaris* est, quæ non tam ratione ac intellectu, quam usu & multarum rerum memoriâ opinioneque nititur. *Simulata* est, quæ neque scientia neque opinione, sed phantasia duntaxat continetur. Nostra, quam in præsentis opusculo tractaturi erimus, *Jurisprudentia*

Le-

Legislatoria, cum Universalī veraqve Jurisprudētia
 coincidit, nihilqve aliud est, qvā facultas practica,
 qvæ circa leges cum Civiles tum Gentium & Naturæ
 occupatur, omneqve jus tam publicum qvā pri-
 vatum & condendi, & interpretandi, illudqve huma-
 nis actionib⁹ applicandi, nec non de utilitate & noxa
 legum judicandi, sibiqve & aliis cavendi docet, ac
 tandem, quid humanæ naturæ communiqve omniū
 societati, ut &, quid cuiqve Reipubl. expediat, dextre
 nos instruit. Particularis adēo Jurisprudētia est
 qvāsi particula & lacinia totius. Universalis verò est
 perfecta, numerisqve suis absoluta, & tum demum
 omni ex parte sibi constat, qvando quid omnibus sit
 commune, quid singulis speciebus proprium, perspi-
 cit. *Dn. de Unversäbrt Päd. Jurispr. Univ. c. 3. §. 3.*
Brand de Verâ & Simulatâ Jct. Philosoph. c. 9.

§. V. Ut verò augustam hanc scientiam ex
 veris suis principiis rite deducamus, necessum est,
 ut hominem ejusqve partes & affectiones, qvatenus
 id præsentis instituti ratio requirit, spenitius inspiciamus,
 siquidem leges homini non brutis feruntur.
 Tametsi vero difficile forte sit, accuratam & gustui
 Philosophorum attemperatam hominis definitionē
 producere velle. Ex communi tamen sensu & in-
 victis constat rationibus, hominem duabus constare
 partibus, anima & corpore. *Anima* (aut potissimus
 animæ effectus) est res cogitans, qvæ in continua
 actione est, nec corpore ad operationes suas elicien-
 das indiget. *Cogitatio* est unius ideæ cum altera
 collatio, nascitur inde *Ratio*, qvæ ex veris & incon-
 cussis

*Quid sit
 homo?*

cuffis principiis certas novit producere conclusio-
nes, ratio eque cogitationum humanarum
omnium gubernaculum, & moderamen, ac initium
& dux recte dictorum, recteque factorum est.

*De Intelle-
ctu.*

§. VI. Anima duas habet partes intellectum
& voluntatem, *Intellectus* est simplicissima mentis
perceptio, & solertissimus veritatis indagator. In-
tellectus facultas *Apprehensiva* est, qua mediante,
intellectui simpliciter se, & velut confuse, objectum
ejusque bonitas & malitia sistit, *Dijudicativa* est, per
quam homo discernit objecta, rationes examinat, &
quid agendum, determinat; Judicium intellectus de
actionis convenientia & disconvenientia cum lege
vocatur *conscientia*, quæ vel *recta* est, quando intel-
lectus actionis convenientiam cum præscriptâ nor-
ma ex firmis & immotis principiis evidenti demon-
stratione deducere novit, vel *probabilis*, quæ ratio-
nibus saltem probabilibus nititur, vel *dubia*, quando
intellectus in moralitate actionis suscipiendæ exa-
minandâ nihil certi expedit, sed in utramque partem
anceps hæret. Si autem pro vero falsum appreh-
endit, tum in *errore* versatur, qui est opinio
veritati contraria, ubi verò simpliciter cognitio ab-
est, ibi adest *ignorantia*, hæc enim est privatio scien-
tiæ. *Dn. Werner in Elem. Jur. Nat. cap. 1. per tot.*

*De Volun-
tate.*

§. VII. *Voluntas* vero est decretum animi rei
amplectendæ, seu illa potentia & vis, quam natura
intellectualis habet ex se ipsa, absque ulla coactione
extrinseca, omnes actiones & cogitationes produ-
cendi, in quibus electio aliqua & determinatio locum
habet.

habet. Siquidem per voluntatem homo non tantum *sponte*, id est nulla necessitate extrinseca coactus, sed & *libere* agit, ita, ut uno objecto proposito possit agere, vel non agere, idemque eligere vel respuere, aut, pluribus objectis propositis, unum eligere, cætera respuere. Actiones intellectus quidem sæpe moventur sine voluntate, voluntas autem semper movet intellectum. Per virtutes invisibiles potentiarum externarum, hominem omni momento occupantium, spem imprimis & metum, voluntatem vel reprimi, vel irritari, vel ad agendum impelli, & sic intrinsece cogi, quotidiana momentaneaque docet experientia: *Actus intellectus* circa cognitionem, *voluntatis*, circa electiones rerum versantur. Tum autem cognoscimus res, quando affirmamus vera, negamus falsa, res verò eligimus, quando appetimus vel desideramus bona vel mala; *Voluntatis* functiones vel *internæ* sunt, ut appetere, aversari, vel *externæ*, ut actiones loco motivæ. In meditatione de mediis ad bonum consequendum aptis, semper intellectus impulsui voluntatis subest, tantum abest, ut voluntas in appetendo bono, vel fugiendo malo, dirigatur ab intellectu. Non enim, quia ali- quod bonum videtur intellectui, voluntas id appetit, sed ideo, quia voluntas quid appetit, id bonum videtur esse intellectui. Quod voluntati gratum est, id intellectus non potest non aliter sensu percipere, atque sub imagine grati, & quod non gratum est, sub imagine non grati. Quod verò ut gratum sentitur, sentitur ut-

B

bo-

bonum, quod ut non gratum, sentitur ut malum. Ergo, cum voluntas præjudicium faciat intellectui, eumque impellat de mediis, ad acqvirendam rem illam aptis, non poterit intellectus etiam in ipsa meditatione mediorum rem cupitam pro bono habere. Quod si enim voluntas sequi debet intellectum, necessum esset, ut intellectus semper esset rectus, datur tamen corruptus intellectus, hunc ergo voluntas non debet sequi. At voluntas non habet potentiam judicandi, uter intellectus sit rectus & corruptus, cum omne judicium pertineat ad ipsum intellectum. Ergo voluntas nescit, quem sequi debeat, Ergo, si, dum id nescit, tamen sequitur, imprudenter facit. Intellectus nunquam est facultas primo movens alias facultates, at voluntas est primum agens animæ humanæ, quia movet intellectum. Plenius hæc deducit *Dn. Thomas. in Fundam. Jur. Nat. L. I. c. I. per tot.*

*Diversa
intellectus
& voluntatis
operationes.*

§. VIII. Intellectus adeo circa dijudicandas res, voluntas circa easdem appetendas fugiendasque versatur. Facultas intelligendi in *cerebro*, facultas volendi in *corde* est, operatio intellectus, quam in cerebro sentimus, *cogitatio*, voluntatis, quam cor sentit, *concupiscentia vel amor est*. Cogitatio de præteritis *memoria*, de futuris *phantasia*, series plurium cogitationum ratiocinatio seu *meditatio* audit, qui plures cogitationes conjungere novit, *ingenio*, qui promte differentias potentiarum investigat, *judicio* pollere dicitur, plures actiones voluntariæ conformes *mores* vocantur.

§. IX.



§. IX. Corpus hominis est instar machinæ & horologii, quod ex partibus solidis & fluidis, vario ordine ac situ dispositis & constructis, constat. Corporis natura est extensum esse, extensum est, quod in longum, latum, & profundum semet exerit. Corpus omnes animæ facultates vivificant, intellectus ad comprehendendum, memoria ad recordandum, voluntas ad agendum, sic, ut corpus ipsum quasi imago & similitudo sit sanctæ Trinitatis. Facit huc, quod pro explicandis partibus corporis, illiusque functionibus quibusdam, adduxit *Cartesius de Pass. Anim. part. 1. art. 7.* ita incedens: Nemo est, qui jam nesciat, nobis inesse cor, cerebrum, stomachum, musculos, nervos, arterias, venas, & similia. Compertum quoque, alimenta, quæ comeduntur, descendere in stomachum, & in intestina, unde eorum succus fluens in jecur, & in omnes venas sese miscet sanguini, quem continent, & eo pacto quantitatem illius augment. Illi, qui vel fando de medicina quippiam audiverunt, sciunt insuper, quomodo cor sit compositum, & quam facile omnis sanguis venarum possit ex venâ cavâ fluere in dextram illius partem, & inde transire in pulmonem per vas, quod vocatur vena arteriosa, & tum reverti ex pulmone in sinistram ejus partem, per vas, quod vocatur arteria venosa, & tandē inde transire in magnam arteriam, cujus rami per totum corpus diffunduntur. Quin etiam, quoad circulationem sanguinis, nemo dubitat, omnes venas & arterias corporis esse instar rivorū, per quos sanguis indefinenter manat, & quidem

De Corpore Humano.

citissimè, cursum suum exorsus à cavitate dextra cordis per venam arteriosam, cujus rami per totum pulmonem sunt diffusi, & juncti ramis arteriæ venosæ, per quam transit ex pulmone in sinistrum latus cordis, tum inde fluit, in magnam arteriam, cujus rami, per reliquam partem corporis sparsi, juncti sunt ramis venæ cavæ, qui iterum deferunt eundem sanguinem in cavitatem dextram cordis, ita, ut hæduæ cavitates sint instar catarractarum, per quarum nunquamque fluit omnis sanguis singulis circulationibus, quas per corpus absolvit. Dein scitur, omnes membrorum motus à musculis pendere, & hos musculos ita sibi mutuo opponi, ut, cum quis eorum contrahitur, trahat secum partem eam corporis, cui innectitur, qua ratione musculus illi oppositus simul extenditur. Tum si accidat aliò tempore, hunc ultimum contrahi, efficit, ut primus extendatur, & ad se trahat partem, cui innexi sunt. Tandem notum est, omnes hos motus musculorum, ut & omnes sensus pendere à nervis, qui sunt instar tenuium filamentorum, aut instar parvorum tuborum, qui ex cerebro oriuntur, & continent, ut & ipsum cerebrum, certum quendam aerem aut ventum subtilissimum, qui spirituum animalium nomine exprimitur. Potissimas corporis humani à corporibus bestiarum differentias eleganter exornat exhibetque *Du. Thomafius in Tr. d. fund. Jur. Nat. c. 1. §. 10.* Destructo, quod per mortem fit, corpore, in quo anima, velut in domicilio suo, suas exercebat operationes, desinit homo, Quem-

Quemadmodum enim unio potentiarum cum corpore, quarum una aliam vel adjuvat, vel destruit, vita dicitur, ita solutio earum mors est. Vita durante, corporis partes, quæ sunt sedes potentiarum, & ipsæ manent unitæ. Morte dissolvuntur etiam particule corporis, & in pulverem rediguntur, potentia vero avolant ad potentias separatas, ut non appareat, ubi præcise operentur, etsi certum sit, eas multo minus redactas esse in nihilum, ac ipsas corporis partes. Corpus itaque mortale est, potentia immortales sunt.

§. X. Ex diversis, uti diximus, tum intellectus tum voluntatis operationibus facile colligere licet, principium dirigens actiones humanas, non intellectum, sed voluntatem esse, hominum verò singula individua à natura voluntatibus diversis & oppositis esse prædita. Imo unum hominem impelli primo à voluntate modo ad hoc concupiscendum, modo ad aliud, quod priori voluntati erat oppositum; Et quamvis voluntas bonum in genere semper appetat, & malum in genere aversetur, magna tamen inter singulos homines tum appetituum tum actionum cernitur varietas. Sed nec semper voluntas hominum circa quamlibet actionem velut in æquilibrio posita deprehenditur, sic, ut inclinatio in hanc aut illam partem unice ab impulsu ejusdem intrinseco post mature perpenſa omnia proveniat, sed frequentissime per extrinseca, velut momenta versus unam magis, quam alteram partem, homo propellitur. Evidens singularem quandam vergentiam conciliat
pe-

De diversitate voluntatum humanarum.

peculiaris ingenii dispositio, qua ad certum genus actionis multi valde proclives redduntur; Quæ non tantum in singulis hominibus, sed & integris in nationibus deprehenditur. Eam autem producere videtur cæli, nos ambientis, solique genius, humorum in corporibus temperatura, ex ipso semine, ætate, victu, valetudine, studiorum ratione, similibusque causis proveniens, item conformatio organorum, quævis animus ad functiones suas obeundas utitur, & similia, *Conf. Pufend. de O.H. & C.J. l.c. l. §. 13.* Indeque profluit, quod alii armis, alii pace valeant, illi audaces, hi timidi; vitia alii, alii bonas artes amant, illi cæli solique duritie animantur ad turbas, has aeris sui clementia ad mollitiem ac luxuriam componit. Illos horridæ septentrionalis nives efferant, & enormia corpora immanes ad impetus instigant; hos medius cæli & temperantior calor artium inventis & facundiæ studio attinet.

De Affectibus voluntatisque morbis.

§. XI. Præterea non tantum dantur in homine certi *morbi*, qui usum rationis in perpetuum, aut ad tempus plane tollunt. Sed & mortales peculiaribus, quos *Affectus* vocamus, premuntur motibus; Conatus namque voluntatis ad rem sibi convenientem dicitur cupiditas, desiderium, amor, spes: conatus ad rem sibi adversam fuga, horror, odium, metus audit. Utrumque horum communi nomine affectus, quia sunt affectiones primariæ potentiæ animi humani, dicuntur etiam passiones animi, quia à rebus extrinsecus animo gratis vel non gratis regulariter ad motum excitantur. Tres primarii affectus,

VO-



voluptas, avaritia, & ambitio universo dominantur generi humano. Nullus equidem homo est, qui non tribus hisce cupiditatibus regatur, sed diverso modo, cum nullus homo detur, in quo non sit mixtura diversa harum voluntatum. In quibusdam una ex his, in quibusdam duæ, in quibusdam omnes tres dominantur. Spes autem & metus sunt illa fulcra, illæ primorum affectuum affectiones, illaque instrumenta, quibus voluntas humana movetur, nihil enim facile agunt mortales, nihil omittunt nisi spe & metu impellente.

§. XII. Maximus autem ille affectuum tumultus, ex infinitis, quæ mortales occupant, passionibus subortus, non potuit non diversos, prout diversa est in quolibet subjecto hominum voluntas, producere mores; In eo omnes conveniunt, quod se mutuo ament, quodque putent, se esse præstantissimos & sapientissimos inter omnes creaturas. Homines insuper bonum & malum magis quærunt in auctoritate & exemplis aliorum, quam in experientia propria. Unde & naturam totius hominis discunt ab aliis extra se, & horrent cognitionem sui ipsius intra se. Scrutantur infinita, negligunt finita. Sperant impossibilia, & metuunt facilia. Sunt creduli, & tamen pertinaces, & utrumque hoc vitium nominibus virtutum præstantissimarum exornant. Lynces sunt in cognoscenda aliorum stultitia, talpæ in propria. Sunt securi, sunt desperati, momentaneam & sensibilem titillationem passionis dominantis, ut bonum jucundum, & privationem hujus

De Varietate morum corruptissimorum.

titil-



titillationis, ut dolorem, æstimantes. Pro utili habent, quod promovet & auget passionem dominantem, pro damno, quod promovet passiones infimas ac destruit passiones dominantes. Omnes quietem quærunt in rebus quietem non habentibus, sed operantibus inquietem. Omnes sibi terminos ponunt cupiditatum, & cum ad terminum istum pervenerunt, alios terminos quærunt in infinitum. Quæ maximè & fortissimè appetunt, minime affectantur, mox maximè contemnunt. Id jucundum, id utile, id decorum, id pulchrum reputant, quod eorum passionem dominantem vel auget vel minuit. Omnes volunt imperare aliis, idque vel vi, vel clam, vel precario, & tamen omnes amant servire, vel vi, vel clam, vel precario. Omnes volunt, ut alii ipsos imitentur, & omnes tamen imitantur alios. Omnes amant proprietatem rerum, & omnes tamen desiderant communionem bonorum, ad alios spectantium. Omnes appetunt usum bonorum aliorum, propria verò, tanquam quotidiana, ipsis vilescunt. Ex quo, quanta generis humani, hominumque omnium miseria sit, abunde satis constare poterit, plenius autem hæc omnia tangit peculiari capite prælaudatus *Dn. Thomas. in Fund. Jur. Nat. L. 1. c. 3. per tot.*

Debet homo actiones suas ad normam legis componere.

§. XIII. Cum itaque homo, non obstantibus hisce affectuum morumque depravatorum paroxi-
smis, plenissimam, quod principia justiciæ concernit,
agendi libertatem, à summo rerum omnium crea-
tore indultam, teneat, facile quis, nisi vim rationi
inferre velit, advertit, non promiscue sibi vivendum,
sed

sed actiones humanas ad certam normam, ne omnia omnibus promiscue liceant, dirigendas esse. Si enim in tanta voluntatis libertate, tantaque inclinationū & studiorum diversitate quisque, quodcunque vellet, ageret, non poterat non maxima in genere humano existere confusio, atque talis turba, ubi nemo audit neminem. Nam sine lege ne ad momentum quidem mortalium genus subsistere potest; Imò appetit homo ardentissimo prorsus conatu societatem, sine quā miserimus, & si fabricam corporis respicias, bruto erat deterior, hæc verò citra legem nullā ratione sustineri poterat. Ipsa illa sanctissima sanctissimi Creatoris actio satis hoc evincit, qui noluit, hominem veluti brutum vitam degere debere, imò homini inest facultas, mediante qua, justum agere, injustum vitare potest, habet enim voluntatem, quæ sese in diversas partes flectere, adeoque & ad normam componere potest, ne dicam, quod omnes homines natura appetant vitam maxime diuturnam ac felicissimam, ea verò amoliantur, quæ vitam reddunt infelicem ac mortem accelerant. Hæc verò omnia normam & regulam vivendi desiderant:

§. XIV. Illam igitur agendi voluntatem & arbitrium restringit summus rerum omnium Creator, hic enim cum facultates homini concessit, ita easdem cohibere potest, imò ex voluntate & jussu Creatoris omnes, quæ intelligere eam possunt, creaturæ obligantur, quia Creatoris est absolutum in creaturam Imperium, quippe quam potuit creare, vel non creare, & quæcunque placuit, lege creare;

*De Volun-
tate & exis-
tentiâ Dei.*

de cujus tanquam perfectissimi entis existentia dubitare velle, esset se ipsum, & totum hoc universum, &, quæcunque in eo deprehenduntur, mirabilia negare, omnemque tandem conscientiam, & illa, quæ apud hominem delitescunt, justi & injusti semina evertere, & profus expungere. Si enim admirabile hoc mundi systema, si rationem, si stupendam illam mentis & corporis conjunctionem, si mirabilem operationum mentis & corporis concentum accuratius pensitemus, non possumus non agnoscere, esse supremum quendam hujus rei artificem, & causarum causam, ex qua suspensa sunt omnia, à qua fit omnis res, omnisque rei motus, modus & ordo, quæque adeo rebus omnibus & initium dederit, & fines quoque singulis suos præscripserit. Certe ex sensu communi mortalibus manifestum est, res multas, imo omnes, quas spectamus existere, illas sibi met ipsis non potuisse fuisse causas, ut essent, cum res, antequam sit, agere nequeat; idcirco reliquum est, ut ad causam aliquam primam rerum omnium, quæ ortum nescit, recurramus. Quam esse oportet Ens independens, æternum, materiæ & corporeæ molis expers, sapientiæ, potentiæ, atque bonitatis immensæ, quod Deus vocatur. Sanioris vero mentis homines, si rerum, quas videmus, in mundo motum contemplantur, oportet aliquam primam motus causam agnoscere, à qua secundarum causarum motus in mundo dependeant, & dirigantur, cum progressus causarum in infinitum humanæ rationi adversetur; nulloque modo percipi possit. Nam admiranda hujus mun-

mundi machina, quam spectamus, omnino architectum aliquem arguit, qui sit immensæ potentiae, atque sapientiae, cum à se illa nec esse, nec ita constanter conservari potuerit. Proinde cum Deitatis notionem apud omnes gentes non plane excæcatas reperire liceat, id argumento est, quod menti hominis primum à natura (seu Creatore) illa impressa sit; vel potius aliquam ejus causam dari, quæ se ad omnè genus humanum extendat. Hæc certe alia esse non potest, quam aut manifestatio ipsius Dei, aut traditio, quæ à primis humani generis parentibus manarit, aut insita mentis idea aliqua, seu notio Dei sit. *Dn. Roel tr. de Religione Naturali. Pufend. de O. H. & C. l. l. c. 4. Rechenb. in tr: de Fund. Relig. prud. §. 1. seqq.*

§. XV. Sanctissima Creatoris voluntas circa ea, quæ vel agere, vel nõ agere possumus, unicam actionibus nostris normam & regulam præscribit: Deus autem, tanquam perfectissimum ens, nihil agit, nec jùbere potest, nisi quæ perfectissima sunt, ea enim, quæ ex ipsa Dei essentia fluunt, non magis mutari possunt, quam ipse Deus. Præterea hanc Creatoris voluntatem, tum instinctus naturales, à naturæ auctore nobis inditi, tum ipsius Creatoris actio, rerum nempe omnium creatio & conservatio, tum mediocorum necessitas, tum actionum finis necessarius & probabilis evidenter satis commonstrant, & ex hisce rivulis universa illa, quæ erga Deum, proximum, & nosmet ipsos nobis incumbunt officia perspicue & invictis demonstrari possunt argumentis, *vid. tr. nost. Jur. Natur. c. 1. §. 5. 6. 7. seqq.* qualis porro voluntas

*Voluntas
Dei est
principium
Juris Na-
tura, &
quomodo
ea probe-
tur.*

multifariam constat, nunc ex pondere conscientiae, ac vi, nunc ex ordinis, quem rebus conditis Deus proposuit, vel etiam societatis aut conservatione aut perturbatione, nunc ex mutuis officiis, quæ nos ab aliis expectamus, à nobisque alii Interprete Servatore, nunc etiam ex imitatione actuum, quos dignos habemus Majestate divina. Quod vero de felicitate generis humani construitur principium Juris Nat. tanquam Universali actionum quarumvis norma, nimirum facienda esse, quæ vitam hominū reddunt & maxime diuturnam & felicissimam, & evitanda, quæ vitam reddunt infelicem & mortem accelerant, id, uti ex instinctibus Naturæ, a Creatore Creaturæ impressis, & mox commemoratis, manifeste satis apparet; cum nemo sanæ mentis tam stolidus sit, qui non appetat vitam felicissimam; In eo tamen difficultas hujus principii consistit, cum & indefinitum, & minus perspicuum sit, indefinitum est, cum & ad physicam, & ad ethicam, & ad politicam, aliasque disciplinas, spectat, & sic obligationem, uti vocant, tum internam tum externam permiscet, pariterque justum, decorum, consilia &c. confundit, minus perspicuum est, cum maxima hic demonstratione opus sit, in quonam vera felicitas vitaque diuturna consistat, cum quilibet homo peculiarem sibi fingat & resingat felicitatem. Ne dicam, quod ita a necessitatibus nostris præsidium & principium petamus, cum homo non sibi soli, sed Deo, cujus gloria & laudem celebrare debet, sit natus, ut adeo omnis nostra felicitas sit, si secundum voluntatem Dei vivamus, quælis sanctissima Dei, nos ita obstringentis, voluntas facillime probari potest.

§. XVI. Voluntas quemadmodum vel verbis declaratur, vel factis, ita Deus hanc suam voluntatē, tanquam perpetuam & immurabilem agendi normam plenius in verbo suo, seu sacro Codice, revelavit, ut adeo omnia, quæ ex lege Naturæ nos obligant, etiam in hoc plenissime contineantur, verum heic multa quoque exhibentur capita, quæ quidem ex lumine rationis non perspicimus, interim tamen toti generi humano præscripta sunt, qualis prohibitio & sanctio contra illos, quibus ista revelatio non innotuit, vix allegari potest, perinde enim est, quo modo Deus universum genus humanum obstringat, sive id verbo sive facto fiat, cum creatoris in creaturam, plenissimum jus & Imperium sit, quorsum præcepta de non comedendo ex arbore scientiæ boni & mali, eaque, quæ circa conjugium ineundum. *Lev. cap. 18.* expressa sunt, item, quæ de Imperio maritali disponit *Gen. c. 3. v. 10.* referri possunt.

*De Volun-
tate divina
revelatâ.*

§. XVII. Præterea in Sacro Codice non tantum plenissima virtutis præcepta, quæ in foro soli quidem non obligant, verum etiam sublimiora, illaque cumprimis, quæ salutem æternam respiciunt, comprehenduntur, in quibus homo, sibi relictus, natura mortuus, quare lumen rationis & revelationis probe ab invicem separanda, cujus inepta mixtura, longe maximam rebus humanis induxit confusionem, ubi non putandum, quasi ob summam heic intervenientem diversitatem alterum alteri repugnet. Quæ enim sunt supra rationem, non statim sunt contra rationem.

*De Præce-
ptis virtu-
tis in S. S.
expressis.*

§. XVIII.

*Declaratio
hujus asser-
tionis.*

§. XVIII. Ex quo 1. consequitur, si aliqua sint, quæ divinis literis agere aut omittere jubeamur, quorum necessitatem tamen ratio sibi relicta perspicere nequit, illa extra Jus Naturæ esse, & ad Theologiam moralem spectare. Præterea 2. in Theologia lex consideratur prout innexam habet divinam promissionem, & quandam rationem fœderis inter Deum & homines, abs qua consideratione Jus Naturæ abstrahit, quippe cum ista à peculiari Dei revelatione proficiscatur, quam sola ratio invenire nequit. Porro 3. finis disciplinæ Juris Naturalis tantum ambitû hujus vitæ includitur, adeoque ea hominem format, prout hanc vitam cum aliis tranquille exigere debeat, ast Theologia hominem Christianum informat, cui propositum esse debet, non hanc solum vitam honeste transire, sed qui fructum pietatis post hanc vitam maxime expectat, quique adeò *πλίτευμα* suum in cœlis habet, hæc autem viatoris duntaxat, aut peregrini instar gerit. Proinde 4. Juris Naturalis scita ad forum duntaxat humanum adaptantur, quod ultra hanc vitam sese non extendit. Ast Theologiæ non sufficit exteriores hominum mores utcunqve ad decus componere, sed in eo maxime laborat, ut animus, ejusqve motus interni, ad placitum numinis fingantur. *Conf. Pufend. in Eleg. Præf. tract. de Offic. Hom. & Civ.*

*De Finibus
rationis &
revelationis,
ubi pariter
de im-*

§. XIX. Summa adeò sapientia est, si rationem & revelationem, naturam & gratiam, probe ab invicem separemus, lumen quidem naturæ citra peculiarem revelationem aperte satis agnoscit, mi-

miserrimum hominis in hac vita statum, mediaque
 subinde, quod vitam concernit humanam, aperit,
 quomodo ex hac miseria liberari possit. Ast vero
 lumen supernaturale, æternam respicit felicitatem,
 quam homo per lapsum amisit, & adeo exhibet, do-
 cetque statum hominis post creationem in innocen-
 tia, & quomodo per hunc lapsum & temporalem &
 æternam sibi conciliaverit miseriam, quomodo post
 hanc vitam alia, & resurrectio mortuorum futura,
 qualis inter beatos & condemnatos differentia in-
 tercedat, qualia ad salutem æternam acquirendam à
 Deo præscripta sint media, unde hæc deveniant, &
 quomodo in hisce obtinendis homo se gerere de-
 beat, *Conf. Dn. Thom. erud. præf. ad Germ. Hugon.*
Grot. version. à Dn. de Schütz: editam; At verò hæc
 ex ratione non ita promte agnoscitur, aut prorsus in-
 vestigari possunt. Quamvis enim satis constat,
 Deum justissimum esse mortalium judicem, ex quo
 haud obscure colligitur, animas hominum post mor-
 tem superesse corporibus, vel esse *immortales*, ut ita
 superstites, vel præmia recte factorum, vel pœnas
 male actorum referre queant. Etenim, si animæ
 hominum, quæ spiritus intelligentes sunt, ut bestia-
 rum materiales animæ, morte interirent, melior
 profecto multorum in mundo brutorum, quam
 hominum, misere viventium, conditio foret, quippe
 quæ nec curis, nec ærumnis, nec tot calamitatibus,
 ut homines, sunt obnoxia. Nec enim causâ apparet,
 cur homines Deum vel metu pœnæ timerent, aut
 spe præmii ipsum ut benignissimū numen colerent.

Sane

*mort. ani-
 ma, resur-
 rectione &
 judicio ex-
 tremo agi-
 tur.*



Sane cultus Dei omnisque religio frustra esset. Certe, si anima nostra est simplex, omnisque materiae expers, ac adeo spiritus, non poterit illa mori, & in partes dissolvi. Concessa autem animae immortalitate, sequitur futura *mortuorum resurrectio*. Quam Gentium Apostolus *1. Cor. 15.* lumini rationis sensuique communi non repugnare adversus Corinthiorum Epicureos demonstravit atque vindicavit. Hanc autem ex summâ Dei perfectione excipit *supremum, idque universale, judicium*, ut homines, qui bene egerunt, præmiis, & qui male egerunt, pœnis afficiantur. Quod providentiæ & justitiæ divinæ maxime conveniens est. Quia Deus Rector Orbis & imprimis hominum justissimus est. Jam vero videmus, multos improbos atque sceleratos, imprimis tyrannos, in hac vita non puniri, restat ergo, ut divina nemesis, quæ necessaria est, post hanc vitam expectetur. Hæc tamen omnia, ut valde pulchra & speciosa, non ita tamen sunt comparata, ut mentem hominis sine accedente divina revelatione & gratia in assensum trahant, firmiterque certam reddant, adeoque magis probabilibus, quam apodicticis rationibus adstruuntur, & confirmantur. Breviter, Jus Naturæ forum soli, Jus Divinum fori poli respicit, illud tranquillitatem & pacem generis humani, hoc felicitatem præsentis pariter & futuræ vitæ intendit, illud ex ratione, hoc ex revelatione fluit, illud actus saltē extrinsecos, hoc etiam interiores respicit. Demonstrat hoc immutabilis disciplinarum istiusmodi habitus, finis equidē *Jurisprudentiæ*
Na-

Naturalis est, ut homo justus ac felix sit in hac vita, finis *Jurisprudentiæ Civilis* est, ut civis justus ac felix sit in civitate, finis *Theologiæ Moralis* est, ut homo beatitudinem æternam consequatur. Confer. *Dn. Rechenb. in tr. de Relig. pr. §. 15. seqq.*

§. XX. Quod autem Scripturâ Sacra principium & fundamentum primum cognoscendi veram religionem sit, id ex criteriis S. Scripturæ insitis, seu notis tum internis, tum externis signis, fidem moraliter certam facientibus, plenissime & invictis constat rationibus, ad interna criteria referas antiquitatem, imprimis librorum Mosis, qui primas rerum origines, mundi que creationem, ac generis humani ortum, ac propagationem, miranda ejus fata, Dei judicia, & vaticinia de gente Hebræorum, longo post tempore adimpleta, describunt, quam sane admirandam rerum abstrusarum, ante se gestarum, notitiam, confingere ex ingenio suo nec potuit, nec voluit. Non potuit, cum, vita ejus universa attestante, Vir sapientissimus ac cordatissimus, magnæque auctoritatis tum apud Ægyptios tum Ebræos fuerit. Nec voluit Moses talia comminisci, cum ad decipiendam gentem suam nulla causa ad eum alliciendum idonea adduci possit; Neque enim ambitiosus famæ aut imperii cupidus fuit, cum lubens id Josuæ ex tribu Ephraim mortis vicinus permisit, quod antè etiam, à Deo sibi primum commissum, deprecatus fuerat. Adeoque de Imperio, in familia sua retinendo, nunquam cogitavit. Imo posteros suos, Aaronis posteris subjectos esse voluit, reducta sua

De Antiquitate S. Scripturæ:

De Signis internis Scripturæ.

D

po-

posteritate in Levitarum plebem. Præterea is animi sui candorem sincerumque studium veritatis eo etiam approbavit, quod errores & peccata sua, quæ dissimulare poterat, posteritati tradere ipsemet non erubuerit. Gesta Dei per ipsum omnia simplici stylo, rei & ingenio conveniente, consignavit, fucato & illecebroso dicendi genere plane abstinens, ut, nudæ veritatis indoles requirit. Nec legitur, Ebræos de ejusdem veritate, quippe ex effectu spectabili & perenni simul Majorum traditione, omnibus manifesta, unquam dubitasse, cum hæc à revelatione tum immediata, tum mediata, per protoplastas & patriarchas longævus facta, à Mose hausta, & per tot insignia miracula fuerat propagata. Argumentum certe librorum Mosis præcipuum, sunt res sublimes & rationi humanæ incognitæ. Cujus generis in nulla antiquissima Gentium historia occurrit, aut, si pars forsan harum rerum attingitur, ex Mose, adspersis subinde fabulis, ea desumpta est. In Genesi Mosaica tres præcipue partes memorantur, quæ ad fundamentum etiam Religionis Christianæ maxime spectare videntur, nempe origo mundi, origo mali, & promissio Messiæ. *Gen. III, 25.* Cæteri Scripturæ S. Canonice libri, imprimis prophetici, sunt velut commentarii in libros Mosis, cum partim vaticiniorum Mosis impletionem, partim de Messiæ promissi persona, nativitate, officio, statu & beneficiis, ab eodem expectandis, clariorem lucem affundant. Alterum signum internum divinitatis S. Scripturæ est egregia dogmatum, in eâ revelatorum, harmonia, quam-

quamvis hi libri non simul & semel ab uno authore,
 eodemque tempore ac loco, sed diversis, diversisque
 temporibus & locis per particulas velut scripti sint.
 Quæ autem in circumstantiis quibusdam discordare
 videntur, commoda interpretatione, è Scriptura
 desumpta, submoveri possunt. Tertium signum in-
 ternum divinitatis Scripturæ est vaticiniorum Mosis
 & Prophetarum impletio. Quæ enim Moses, quæ
 Prophetæ de Messia, quæ de fatiis Regnorum in Ori-
 ente, & imprimis Judæorum, de Statu Reipubl. &
 Ecclesiæ Judaicæ, de Hierosolymæ everfione, vati-
 cinati sunt, omnia jam eventus comprobavit.
 Ad signa & notas externas divinæ authoritatis Scri-
 pturæ spectat S. Codicis, inter tot furores improbo-
 rum, & persecutiones hostium veritatis miranda
 per tot sæcula conservatio, ejusque inter gentiles
 etiam ac hæreticos propagatio, item Sermonis Maje-
 stas, & puritas, miraculorum varietas. Accedunt
 testimonia tot S. Martyrum, qui librorum sacrorum
 veritatem morte sua obfignarunt. Hæc igitur &
 similia signa, conjunctim sumpta, omnino ad fidem
 historicam ac moralem certitudinem divinæ autho-
 ritatis iis conciliandam homini sanæ mentis sufficere
 possunt; De libris S. Codicis & quidem *Canonicis
 Nov. Testamenti*, eorumque divina authoritate, itidem
 nulla dubitandi solida causâ adferri potest. Eorum
 enim scriptores ab omni fraude alienos fuisse, vel
 inde patet, quod nulla hujus vitæ commoda quæsi-
 verint, honores spreverint, etiam oblatos. *Act. XIV.
 v. 11. seqq.* Quin magno potius animo ignominiam
 D 2 per-

*De Signis
 externis
 Scripturæ?*

persecutionis & cruciatus, ac mortē deniqve ipsam pro eorum doctrinæ veritate lubentes sustinuerunt, Præterea, quæ patrarunt, miraculis fuerunt insignes. *Act. II, 43. V, 12.* Fidemqve de Christo non solum indoctæ plebi, sed etiam doctissimis Judæorum magistris, atqve philosophis, simplici licet sermone usi, persuaserunt, ut in Christum crucifixum crederent, Eumqve pro salvatore mundi amplecterentur, colerent, fidemqve hanc suam morte purpureâ obsignarent. Quæ cuncta sane omnia divinam verbi originem & efficaciam simul arguunt. Quis enim præsumat, Sanctis istis hominibus voluntatem fuisse fallendi homines, unde nec commodum adipiscerentur aliquod, aut periculum evitarent, sed potius hujus doctrinæ, animarumqve salutis causa, comoda præsentis vitæ omnia amitterent, odiumqve Judæorum & paganorum in se commune concitarent, atqve extrema inde incurrerent pericula. Et sane, quæ Sancti Viri literis de rebus Christi mandarunt, ea ipsis non solum, sed aliis quoqve, qui illo tempore vixerunt, non incognita fuisse notum est. Unde, si falsa veris admiscuissent, statim falsitatis ab adversariis suis infestis facile convinci potuissent, ut tam impium facinus proderetur. *Conf. Dn. D. Rechenb, Libellus de Relig. Prud. P. 2. §. 6. seqq. ex quobac hausta sunt, Grotius de Veritate Religion. Christ. Dn. Abbas Fabritius in dist. de S. Scriptura.* Placet autem hic ex mox allegato elegantissimo *Dn. Rechenbergii* libello, velut in nuce, totam Religionis Christianæ seriem, credenda & œconomiam salutis complectentem, referre ex §. 34. P. 2. d. tr.



§. XXI. Deus Triunus, æternum Numen, im-
 mensæ potentia, sapientia, bonitatis & justitiæ, con-
 ditor hujus universi, Dominus atqve Rector ejus
 Unicus, primum par hominum, Adamum & Evam,
 ad imaginem suam creavit, ut tanquam intelligentes
 & liberæ creaturæ ipsum amarent, colerent, atqve
 legem de non comedendo fructu arboris vetitæ, in
 obsequii & venerationis sanctæ symbolum serva-
 rent, eoqve suam reverentiã creatori, & obedientiam
 supremo Domino suo adprobarent. Isti vero instin-
 ctu diaboli serpentis schema induti, libero suo arbi-
 trio abutentes, legem istam, servatu facilem, trans-
 gressi, eoqve, fide exuta, rebelles Dei facti, imaginem
 ejus concretam, quæ in sapientia, sanctitate & justi-
 tia consistebat, amiserunt, ac se & poster os suos, quo-
 rum personas repræsentabant, peccato involverunt.
 Ex quo, violata divina justitia, omne malum, vitæ
 miseriam ac mortem spirituales, temporalem & æ-
 ternam sibi ac illis pariter accersiverunt pœnam.

*Summa re-
 ligionis, &
 œconomia
 salutis.*

Deus tamen ex mirando justitiæ & misericordiæ suæ
 temperamento, lapsæ & a se avulsæ genæri humano
 Mediatorem & Salvatorem, ex semine mulieris na-
 scendum, statim post lapsum promisit, impleto tem-
 pore, quod præfixerat, dandum, qui læsæ justitiæ suæ,
 quæ ipsi essentialis, ac adeo inviolabilis est, perfectam
 obedientiam præstando & peccata expiando, genus
 humanū per mortem ignominiosam reconciliaret.
 Mediator igitur hic, æternus & unigenitus Dei filius
 Jesus Christus, ex conventionem cum Deo patre inita,
 prædicto per prophetas tempore impleto, ex Maria

Vir-

Virgine ac Spiritu S. conceptus & homo natus, in
 forma servi inter Judæos obambulans, S. Sanctam
 voluntatem patris sui, de salute humani generis repa-
 randa patefactam, implevit, & mortalibus plenius
 ipse exposuit, multisque etiam miraculis patris,
 se verum illum patribus olim promissum esse Messiam
 demonstravit. Quapropter, ut in veteri jam testa-
 mento prædictum, variisque typis præfiguratum
 fuerat, ipse lubens pro toto genere humano passus,
 mortem ignominiosam subiit, omniaque hominum
 peccata expiavit, & ab eorum pænis æternis liberavit.
 Qui ex mortuis tertia die resurrexit, ante adscensio-
 nem in cælum, sessurus ad dextram patris, electis
 duodecim Apostolis, ceu nunciis salutis reparatæ
 publicis mandavit, ut hoc gratiosum Dei consilium
 mirandum, quod Evangelium vocatur, Spiritus S.
 donis extraordinariis festo pentecostes instructi,
 primum Judæis, dein toti orbi, tenebris ignorantiae
 involuto, annunciarent, omnesque gentes ad regnum
 Christi, quod est spirituale & ecclesia vocatur, invi-
 tarent, ac per baptismum, ceu sacramentum regene-
 rationis Deo Triuni (quippe in cujus nomine bapti-
 zari omnes jubentur) initiarentur, ut vera fide in
 Christum mediatorem unicum apud Deum, per
 verbum suum a Spiritu S. imbuti, ejusque satisfactio-
 ne & merito nixi, per fidem justificarentur, Deoque
 reconciliarentur, inde vero, abnegatis mundi & car-
 nis desideriis, ipsi in justitia & sanctitate, virtute
 Spiritus S. adjuti, servirent. Atque, ne eorum me-
 moria tantum beneficium excideret, fidesque lan-
 gue-

guesceret, ad ejus corroboracionē & recordationem passionis domini salutiferæ, S. Cœna, juxta ipsius institutionem, uti jussi sunt omnes, donec Christus melioris, h. e. æternæ, vitæ autor e cœlo rediret cum gloria ad judicium, redditurus unicuique ex mortuis resuscitato secundum opera sua, credentibus nempe, qvi Evangelio obedierunt, salutem & æternam gloriam, contemtoribus vero hujus gratiæ & incredulis vindictam in flamma ignis cum æterna ignominia in inferno.

§. XXII. Illud quoque considerandum, notandumque erat, ut terminos juris & virtutis (sub qua honestum & decorum comprehendimus) rite separemus. Quamvis enim jus divinum quoad salutem æternam nanciscendam accuratam honesti & decori culturam, merito Christi innixam, nobis injungat, aliud tamen rationem, aliud revelationem esse, in §. prioribus abunde, ni fallor, demonstravim⁹, ast vero plenissimam inter jus & virtutem differentiam esse, citra dubium, & prorsus apertum est. Jus equidem 1. obligat, virtus seu honestum & decorum non. 2. Jus præcisam reparandi necessitatem parit, virtus non, definit enim virtus, si coacte agamus. 3. Jus non potest concipi sine superiore, bene virtus. 4. Jus suum cuique, virtus verò id, quod nostrum est, vel alii tribuit, vel nostra perficit. 5. Justitiam si plenissime exercuimus, nihil meremur, bene si virtutem, & sic, cæteris paribus, quæ inter obligationem internam & externam construitur distinctio, ita, ut illa regulas honesti & decori, hæc vero regulas justitiam afficiat, suavi

Jus a virtute separandum.

CO-



cohæret vinculo, illa forum poli, hæc soli respicit, & idem de consiliis, monitis, dogmatibus, mandatis, præceptis, amicorum, patrum, dominorum, paritum, inferiorum dijudicandum, quæ, cum persuasionis vim habent, ad internam spectant obligationem. *vid. tr. nost. Juris Nat. c. 1. §. 21. 22. 23.*

De Necessitate Imperii Civilis.

§. XXIII. Quamvis verò homo, in hoc tunc rationis tum revelationis statu consideratus, si Deo, si sibi viveret, atque Deum supra omnia, proximum vero tanquam se ipsum diligeret, neque passionibus, sensum sine sensu mortalium genus destruentibus, indulgeret, sat feliciter vivere poterat. Ea tamen inter mortales, post lapsum ad omne malum propendentes, deprehenditur pravitas, ut pauci suis facultatibus contenti, plurimi verò aliena appetant. Nullum animal est homine sævius, si libidini licentiâ habeat conjunctam, nec absurde quis dixerit, per creatoris providentiam ideò tam tardis incrementis hominem adolefcere, fecus ac bruta, quo ingenii humani ferocia & asperitas per longas moras utcunque frangi, & in harmoniam cum aliis disparibus ingeniis queat attemperari. Nam subito in plenas vires adultus homo quavis bestia intractabilior erat futurus. Opus igitur erat summa aliqua potestate, quæ Dei nomine hanc hominum malitiam per debita remedia restringeret, nisi enim aliqua summa esset potestas, ex Hebræorum proverbio, quod *Grotius* allegat *de J. B. & P. l. 1. c. 3. §. 4.* homo hominem vivum deglutiret, quo de prolixius egi in *tract. Jur. Nat. c. 7. §. 1. seqq. & tract. de Jurispr. Illustr. §. 1. 2. 3.*

§. XXIV.

§. XXIV. Illa igitur Summa Potestas, quæ quoad primam sui originem non uni alterive, sed universo generi humano, diviso verò in plura territoria terrarum orbe, cuique potestati, quamcumque demum Reipubl. formam, factò & pacto humano inductam, fingas at refingas, in territorium suum competit, ejusque finibus coercetur, ab ipsa natura fluit. Qui vult finem, vult media, vult Deus, homines non bestiarum instar in promiscuis cædibus, sed pacatè, sed tranquille vivere debere, quod, cum citra summam potestatem, Dei vices in hisce terris repræsentantem, fieri non possit, de hac igitur summa potestate, cujus sanctimoniam ipse Deus stabilivit, quando summæ potestati parendum esse injunxit, nullatenus dubitandum, citra hanc enim genus humanum plenissimum esset confusionis, omnisque malitiæ hospitium, ubi nemo audit neminem.

Cui comparat summa potestas.

§. XXV. Potestas autem hæc summa justitiæ tuendæ causa constituta. Summum enim sumæ potestatis jus est, jura tueri, quo in ipso numine nihil divinius, aut sanctius est, quodque id ipsum est, quo sanctissimus naturæ arbiter ex sapientissimæ voluntatis suæ regula, quodam quasi æquilibrio rerum universitatem pensitat, & veluti trutinâ examinat. Cum enim Deus tanquam fons justitiæ, imo ipsa sacrosancta justitia, jura sua, quibus genus humanum regi vult, non immediate, sed mediate exerceat, Deus enim agit per media, ita hanc potestatem delegavit principibus, tanquam vicariis Dei, Dei jura tuituris.

Fluit constituta à Deo summa potestas.

E

§. XXVI.

De necessitate Juris prudentia Regulativa.

Quid sit Prudentia Legislatoria.

§. XXVI Tametsi verò immutabilia Juris Naturæ, cordibus nostris insiti, totumque genus humanum obligantis, decreta plenissimam heic suppeditare poterant normam, cum autem Juris Naturalis præcepta valde indefinita, & ad infinitos in genere humano occurrentes casus definiendos, haud adaptata, quin potius pro diversitate rei, hominumque opinione, prolixis jurgiis & tædiosis cavillationibus obnoxia sint, adeoque opus erat positiva aliqua Juris prudentia, *conf. tr. nostr. de Def. Jur. Com. in Germ. probl. l. §. 1.* indeque principis, seu summæ in quacunqve Republ. potestatis jus circa leges condendas semet aperit, atqve talis hæc est scientia, quæ valet prospicere, quid cuilibet civitati expediat, vel noceat, ut, quod factò opus est, Imperio ac jurisdictione per leges publicas & privatas jubeatur, quòd noxium & fœdum inceptu, hisdem vitetur. Breviter, prudentia legislatoria est prudentia emendandi mores corruptos civium, in Republ. viventium, per leges salutare, eaqve procurandi media, quibus salus & felicitas Reipubl., tanquam suprema lex, promovetur. Omnis enim legum constitutio eo collimare, idqve efficere debet, ut plerumque civibus bene sit, vitamque possint traducere in rerum sufficientiâ & virtutum exercitio. Ex quo facile colligere possumus, quod lex humana improbis, non probis originem debeat, nam improbi sunt autores Rerumpubl., probi extra Reipubl. in libertate naturali vixerunt.

§. XXVII



§. XXVII. Est hæc scientia vel theoretica vel practica, illa, quicquid cuique Reipubl. circa ea, de quibus leges ferri possunt, expediat vel non, in univ-ersum considerat, & tam late patet, quam ipsa illa scientia, quæ versatur circa id, quod justum est, in Monarchia, Aristocratia, Democratia, & ex his mixtis Rebuspubl. Hæc, quæ peculiaris alicujus ex his status, & singularis sunt Reipubl. v.g. Germaniæ, Galliæ, Angliæ, examinat, & non tam quid simpliciter in Reipubl. justum, quam quomodo justitia illa in singularem aliquam civitatem fit introducenda, exacte perpendit. Quemadmodum enim in cæteris disciplinis aliud ars ipsa oratoria est, aliud oratio Demostenis, forte ex arte facta, ita & hic aliud est ipsa juris ac legum condendarum ars, aliud lex alicuj⁹ populi. *Hopper in Seduard. lib. 3. t. 1. seqq.* Plus tamen commodi præstare aptus est is, qui tenet legum civilium utilitatem & noxam, quam qui novit duntaxat secundum leges & mores usitatos controversias civiles decidere, sane in illo, qui Reipubl. præsidet sive autoritate sive consilio, non tam hæc, quam illa prudentia requiritur. Similiter juris & peritia & prudentia dicenda maximo merito videtur, non tam legum unius aut alterius civitatis scientia, quam in univ-ersum illa, qua tenemus, quæ leges omni Reipubl. speciei convenient tum publicæ tum privatæ, quemadmodum illæ ferendæ, aliæ autem sint abrogandæ. *Dn. de Unversâbrt. pad. Jurispr. Univ. c. 1. §. 9.*

*Quotuplex
Jurispru-
dentia le-
gislatoria.*

*De Princi-
palibus legisla-
tionibus.*

§. XXVIII. Quoniam autem illa scientia, quomodo corrupti civium animi moresque in melius formari, & communis Reipubl. tum felicitas tum tranquillitas commodissime adaugeri queat, longe maximi momenti, adeoque ante omnia in legislatore requiritur, ut sit sapiens, & prudens, qui scilicet novit, quid in vita civili utile sit, quid inutile, quid justum, quid injustum, & adeo quæ leges Reipubl. sint utiles, quæ inutiles, quæ justæ, quæ injustæ, quo ipso vir prudens boni & mali, justi & injusti, propelex est, & norma inflexibilis. Illas imperabit, has verabit. Civitas à pluribus familiis, familia ex pluribus hominibus constituitur, hanc enim componunt mas & foemina, nascuntur in familia liberi, adsciscuntur servi. Ab hominis igitur descriptione ordiendum, ubi prima & aurea se sistit philosophia. Nosce te ipsum. Nam haud sane familiam recte quis reget, nisi qui primum se sciat regere, nec porro Rempubl., nisi qui familiam. Qui se intime novit, & alios dignoscere poterit, quo de jam diximus atque, & ulteriora dicemus infra de prudentia consultatoria.

*De Affi-
nibus civi-
um.*

§. XXIX. Quemadmodum verò civitas non potest non agere, legumlator ita formare eam debet legibus & institutis, ut non male, sed bene agat. Ad bene agendum autem requiritur virtus animi, corporis, & bona externa, quæ omnia ut infans suis civibus legumlator efficiat, aut efficere intendat, praesertim cum hoc agere debeat, ut Respubl. non solum à prudentibus ac sapientibus administretur, sed & ut ipsi,

ipsi, qui parent, sint tales, quod sit partim naturæ beneficio, partim consuetudine, partim doctrina, ita quidem, ut natura sine consuetudine aut doctrina, vel hæ vicissim sine natura, nihil possint. Virtutes hominum, & quomodo in his, tanquam re aliqua perfecta, de gradu in gradum proficere debeamus latè recensent libelli ethici. Quamvis enim ad virtutem nemo cogi possit; coacta virtus non est virtus. Impossibile est, per coactionem ducere aliquem ad amorem, qui est fons tranquillitatis internæ. Legis virtus essentialis consistit in cogendo, & metum externum injiciendo, at natura humana ita comparata est, ut impossibile sit, per metum servilem, qualis est omnis metus pœnarum, emendare homines, possunt tamen, imo debent tales leges condi, quæ non tantum tranquillitatem communem respiciunt, verum etiã virtutis studium injungunt, nec refert, utrum istiusmodi actus, legibus præcepti, virtutis nomen conservent aut amittant, sufficere poterat, quod subditi ad quævis præclara, ut metu pœnæ, incendantur. Singulæ gentes modo in hac, modo in ista virtute excellunt, aliæ sive naturæ, sive educationis defectu his destituuntur. Licet autem mores cujusdam gentis scire, ac certò definire difficile sit, investigare tamen ea possumus, quæ scire haud ità obvium: Cognitio morum gentis suæ legumlatori hunc usum præstat, quod si mali sint, facilius leges ac instituta invenire possit, quibus illi corrigantur.

§. XXX. Bona ac virtutes corporis ancillantur bonis animi, haud postremum autem opus est le-

De Virtutibus corporis.

legislatoris, videre, ut corpora in civitate degentiū recte se habeant, & talia sint, ut reddi possint apta ad pacis & belli negotia, quod tum demum illis contingit, si 1. sint multa, 2. sana, 3. valida ac magna, 4. pulchra & decora. Si numerus in civitate hominum deficiat, neque soli cœlique bonitate peregrini in spontaneam vacuarum sedium hæreditatem vocari possint, legumlatores immunitates ac privilegia cum commercandi, transeundi, commeandi, ac remeandi jure novis illis hospitibus atque incolis ex ratione politica concedere solent. Sanitas autem & robur corporis nunquam populo deerit, si ea, quæ ad rationem victus, & societatem conjugalem pertinent, recte omnino sese habeant. Bona quoque externa, divitiæ, & potentia & honos seu bona existimatio sub prudentiam legislatariam cadunt. Existimatio in eo consistit, si gentis incunabula fuerint & illustria & antiqva, rebusque præclare gestis ad æternitatem nobilitata, prætereaque, si populus procreaverit, homines illustres iis in rebus, quibus hominum studia promoventur, hoc est tales, qui in omni virtutum genere excelluerunt.

*An plus
valeant
boni mores
quam leges.*

§. XXXI. Disputatum, & non sine ratione disputatum fuit, an non præstet Rempubl. bonis moribus, remotis legibus omnibus, regi; & certum quidem est, plus juvare & præstare bonos & incorruptos mores, ex amore boni profluentes, quam spinosam & sat molestantem legum farraginem, & hypocriticam vitam, ex metu pœnæ subortam. Indeque plus valent leges non scriptæ quam scriptæ; illæ enim,



enim, institutâ optima juventutis educatione, in ipso facto consistunt, exemplis corroborantur, & sensim sine sensu de familiis in familias transferuntur, hæ autem ex metu saltem pœnæ observantur. Secundum istud tritum. Oderunt peccare boni virtutis amore, oderunt peccare mali formidine pœnæ. Ad bonos vero mores introducendos plus valet exemplum principis sine legibus, quam mille leges sine exemplo. Regis ad exemplum totus componitur orbis. Verum, quamvis ipsi sæpi⁹ Principes laudabile suis subditis exemplum præbeant, ubi sunt boni mores? ubi est cultura morum? forsitan ens rationis. Debebamus esse Christiani, sed debebamus, ubi enim Christianismus, ubi purus & incontaminatus amor inter mortales, ad omne malum celeberrimo impetu proruentes, hæret? opus ergo est legibus. *Conf. tract. nostr. de Defect. Jur. Comm. in Germ. probl. 1. §. 2.*

§. XXXII. Leges omnes perspicuæ, utiles esse, prætereaque tum *Reipubl. genioque populi* accommodari, tum in *lingua populi* conscribi debent; ex quo apparet, quam absolum, & ab omni ratione alienum sit, *Reipubl. vel peregrinis*, & à statu nostræ *Reipubl. prorsus abhorrentibus legibus onerare, vel easdem in diverso, quo populus utitur, idiomate pronunciare velle, ad incognita voluntas humana trahi nequit.* Leges præscribuntur subditis, quomodo autem subditus vivet secundum legem, quam non intelligit, nec per rerum naturam intelligere potest. Multo min⁹ leges sibi met ipsis contradicere debent, quod

De requisitis legum.

quod omnem legi virtutem & vim adimit, quid enim
 in perversa legum pugna, & ubi hæ sibi non constant,
 & a doctissimis cæteroquin Viris investigari ne-
 queunt, eligendum? quid faciendum? Præterea
 leges debent esse breves. Quo pauciores sunt leges
 scriptæ, & quo generaliores, eo meliores sunt. Ubi
 multæ leges, ibi multæ lites, ubi multæ lites corru-
 ptissimus inibi Reipubl. Status, & deploranda depre-
 henditur miseria. Quemadmodum, ubi pharmaca
 & medici multi sunt, ibi multi reperiuntur ægri, ita,
 ubi leges & magistratus sunt plurimi, ibi injustitiæ
 & nequitiae plurimum invenitur. Scripsit *Plato*, cer-
 tissimum corruptæ Reipubl. signum esse, si multi in
 ea sint & Judices & Medici: Spectat huc effatum
Isocratis, optimas esse leges, quæ lites quam paucis-
 simas producant. Ipse *Justinianus* in §. 1. 2. 3. 4. *de E-*
mend. Cod. & alibi passim conqueritur, ex multitudine
 legum antinomias, variasque interpretationes esse
 natas. Corruptissimam esse Rempubl. in qua plu-
 rimæ sunt leges vere & scite inquit *Tacitus* 4. *annal.*
 inventa lege invenitur fraus legis, & legum multitu-
 do litium infinitatem parit: *Socrates* ait, eas leges
 maxime probandas esse, quæ quam paucissimas lites
 gignunt, & quibus fit, ut quam citissime litibus finis
 imponatur. Quo plures leges, eo plures disputatio-
 nes, & quo plures conclusiones, eo plures cavillatio-
 nes sunt. Non possunt leges sic determinari, etsi
 infinitas scribas, ut non infinita sint relinquenda
 arbitrio Judicis, sed & hoc temperari potest, imo
 debet.

§. XXXIII. Præterea, uti mox diximus, utiles debent esse leges, non inanes, nõ vix dabiles, non per seculum vix & ne vix quidẽ occurrentes. Sapiens nihil frustra facit. Evilescit lex, ejusque tota virtus corrumpitur, si legem inanem deprehendas, innuit, sed non præstat hoc, Jus Romanum, seculo nostro adaptatum. Certissimum enim est, ut ex ipso hujus juris principio incedam, potissimum juris principium esse utilitatem civilem. *In l. 16. ff. de leg. Paulus* jus singulare est, inquit, quod contra tenorem rationis propter aliquam *Utilitatem* autoritate constituentium introductum est. Et *Modestinus in l. 25. ff. de LL.* ait, nulla juris ratio, aut æquitatis benignitas patitur, ut, quæ salubriter pro *Utilitate* hominum introducuntur, eos nos duriori interpretatione contra ipsorum *commodum* producamus ad severitatem. *Ulpianus in l. 2. §. 2. ff. de J. & J.* Publicum jus est, inquit, quod ad Statum rei Romanæ spectat. Privatum, quod ad singulorum *utilitatem*: sunt enim quædam publice *utilia*, quædam privatim. *Paulus in l. 2. ibid.* Jus dicitur altero modo, quod omnibus aut pluribus in quacunque civitate *Utile* est, ut est Jus Civile. Item *Papinianus in l. 7. d. t.* Jus Prætorium est, quod Prætores introduxerunt, adjuvandi vel supplendi vel corrigendi Juris Civilis gratia propter *Utilitatem Publicam*. Porro *Ulpianus in l. 2. ff. de const. princ.* In rebus novis constituendis evidens esse debet *Utilitas*, ut recedatur ab eo jure, quod diu æquum visum. Ipse Imperator Justinianus §. 2. *J. de Jur. Nat. Gent. & Civil.* Jus Gentium, inquit, omni humano generi

De Utilitate legum.

commune est; nam, *Usu exigente & humanis necessitatibus*, gentes humanæ jura quædam sibi constituerunt.

*De Actibus
subditorū
vitiōsis cor-
rigendis, &
de cautela
circa leges
ferendas.*

§. XXXIV. Lex debet coercere pœnis actus *injustos*, notare infamia actus *inboneſtos*, pœna nullitatis afficere actus *indecoros*. Ità tamen, ut ubiqve, maxime vero in posterioribus duabus classibus, memor sit imbecillitatis humanæ, & quod multa relinquenda sint cujuslibet pudori, quodque multæ virtutes dignitatem & valorem amittant coactione, coacta virtus non virtus, sed superstitio est. Vicia nimis radicata, quæ absque insigni turbâ quietis publicæ tolli nequeunt, dissimulanda sunt, & exemplo bono magis impugnanda, quam legibus, aut per indirectum impositione oneris, concessione privilegiorum. Caveat enim sibi Princeps, ne leges ferat, quarum pœnas non potest executioni dare, tales enim pariunt contemptum, & augment libidinem peccandi. Frustra sunt leges, quæ conclusiones vitiorum coercent, non tollunt radices e. gr. quosdam vestitus, quosdam cibos. Frustra sunt leges, quæ tollunt conclusiones juris incerti, falvis fontibus, unde incertitudo oritur, v. g. quæstiones testamentarias, falvis testamentis. Solennitates cum primis & ceremoniæ actuum tam civilium quam sacrorum magis minuendæ, quam augendæ. Tales enim actuum civilium v. g. testamentorum, contractuum, processus, &c. Solennitates inutili juris subtilitatem summamque juris incertitudinem, ceremoniæ verò sacræ superstitionem, fastum pharisaicum, & contemptum virorum virtuosorum pariunt.

§. XXXV.

§. XXXV. Cum autem commoda & incrementa Reipubl. principibus, summisque rerum humanarum potestatibus, curæ cordique esse, eaque omnia legibus salutaribus instrui debeant. Unde omnium *primò* attendenda est ipsa terra, & soli in qualibet civitate natura, an scilicet civitas talem regionis sit sortita situm, ut in civitate degentes vix vivere, multo minus bene & liberaliter vivere possint, an sibi sufficiat ob aeris & soli rigorem, neque aliunde, quæ opus habet, queat apportare, an verò illud suum *vò èu ξῆν* vel ex toto, vel ex parte consequatur, ac tandem, si adsit naturæ benignitas, an legibus, fœderibus & pactis (quæ vim legis habent, ita, ut quicumque fidē fallat, pactionesque subvertat, is leges ipsas tollere videatur. *Aristot. Rhet. 15. §. 37.*) aut aliis, quæ huc pertinent, rectè sit composita. *Dr. Conring. dissert. de Nomoth. lib. 10.* *Secundò* Legislator non solum, ut iuste & suo tempore quæque proveniant, sed etiam, quæ sufficiant suis alendis, quæque possint exportari, œconomicè perspicere debet, ut cum iis populis, qui vel deficientia suggerere, vel abundantia recipere queant, fiant pacta & conventiones. Quæ igitur necessaria defunt, à vicinis sunt petenda, quæ abundant, vicissim sunt exportanda rursus, quæ infelicius proveniunt, ne exportentur, vetari debent, ne aliis ministrent, domi verò rerum omnium egeni minus habeant, unde vivant. Unde in bene constitutis Rebuspublicis tempore, ubi frugum inopia metuitur, ne quicquam exportetur, lege caveri potest, quod vernacula nostra lingua

*Quomodo
per leges in-
crementa
Reipubl.
promoveri
debeant.*

dicitur, *Det Zuschlag*. Notante *Dn. Couring. d. l.*
sb. 13. Tertio. Oportet regionem ita esse constitu-
 tam, ut ad utraqve & pacis & belli negotia sese recte
 habeat, ita, ut in ea viventes perfectas habeant ra-
 tiones, quomodo non solum in otio possint res ac-
 quirere, sed & easdem belli tempore ab externa vi
 tuteri. *Quarto* videndum, an regio natura loci probe
 sit munita, adeoque montibus fluviisque variis in-
 tercisa & interrupta, quò nempe fit, ut hostibus diffi-
 cilis sit ad irrumpendum, ipsis vero prona ad exeun-
 dum. Observare etiam est eos, qui ad mare habitant,
 semper vitiosos esse deteriores, quam eos, qui in conti-
 nenti agrum colunt. Partim enim à peregrinis pe-
 regrinos mores ac multum vitiorum attrahunt. :
 Partim ipsi, cum tales regiones terræ proventibus
 plerumque minus sint divites, fraudibus assuescunt,
 audacisque conatus moliminibus inopiæ suæ labo-
 rant succurrere. *Quinto*, si quæ minus natura loci
 sit munita, eam arcibus ac munimentis, aliisque arte
 factis circumvallet, & adversus vim externam tutam
 reddat legislator, deinde sciat, quomodo regio cu-
 stodiatur, qui sit præsidiariorum militum numerus,
 cujus generis sint, quibus locis imponenda sint præ-
 sidia. Quæ ideo noscenda, ut si minor justo est,
 custodia augeatur; seu quæ non necessaria, tollatur:
 & ut opportuna loca diligentius custodiantur. *Arist. 1.*
Rhet. c. 4. §. 18. 19. Ubi numero 14. *et seqq.* præclare
 de bello & pace differit. Quæ omnia maximè ob-
 servanda à legumlatore, præcipue eo, qui in tali vivit
 Republica, quæ & dives est, & vicinos habet, qui di-

divitiis inhiant, lateqve imperitare summum credunt esse civitatis bonum; ab his enim necessum est ut bellum metuamus. *Vid. Dn. Conring. dict. dissert. 1b. 21.* Quare præstat notitiam regni, provinciæ & territorii penitius cognovisse; quo nomine sequentia suppeditat requisita *Dn. Ludewig in der Anzeige seiner Winter-Lektionen.* 1. Muß die natürliche Beschaffenheit des Landes/der Luft/ des Gewässers/ des Erdreichs/ gewiesen/ und dabey gezeigt werden/ was solche Länder an andere aufgeben können/ und für sich wieder von andern nöthig haben. 2. Die Art des Volckes/ und der Einwohnere/ was solche für Temperamente, und folglich für gute und schlimme Inclinationes haben. 3. Die Regiments-Form/ und was dabey ausgemachet/ und was davon zweifelhaftig ist/ wobey die regalia majora & minora untersucht/ und was sich bey der Militz, denen Gerichten/ denen Hoff-Chargen, denen Ritter- und Herolds-Geschäften und Rechten/ denen Staats- und anderen vornehmen Collegiis, denen feudis, majoratibus, successionibus des Landes/ denen legib⁹ & Doctorib⁹, dem Jure monetandi, collectandi, und so weiter/ Merckwürdiges befindet/ mehrens erkläret werden muß. 4. Der Kirchen-Staat und Einrichtung desselben in Glaubens-Puncten/ das eusserliche Regiment der Bischöffe und Cleriksen/ ihre Einkünfften- Gesetz und Weise in Mitteldingen/ wie auch die geistliche Gerichte. Wobey dann auf den Zustand der Wissenschaften/ die in solchen Landen üblich seyn/ und vornehmer und gelehrter Männer/ die sie gehabt/ mit gesehen wird. 5. Der Mehrstand/

mit

mit welchem zuorderst erkläret wird/was für Hand- und Wandel in- und außwärts eines solchen Staats/ woz für Künste u. Gewerbe in dem gang seind. 6. Wird das Interesse des Staats in sich/ und gegen andere angemerket/ die Kräfte und Schwäche desselben/ und wo eine Kranckheit entweder entstanden/ oder dergestalt um sich gerissen hat/das selbige unheilbahr zu sein schenket. 7. Müssen die hiezu nöthige Scribenten angeführet werden.

*De Pra-
stantia LL.
Mosaica-
rum.*

§. XXXVI. Inter omnes vero leges, quibus corruptissimi hominum animi constringuntur, incomparabili exemplo eminent leges Mosaicae. Pertinent enim hae omnes ad rite formandos mores gentis Israeliticæ in Ægypto maxime corruptos, & sic omnes sunt simul morales & politicæ. Formant autem mores vel singulorum absque respectu ad societates, vel in respectu ad societates. Ad primam classem referre possumus leges, quæ pertinent vel respiciunt animam hominis, hoc est ipsius voluntatē, (nam de intellectu subtili & scholis, speculativum intellectum perficientibus, nihil disponitur) quod debeat diligere Deum & proximum; vel corpus ejus & circumstantias corporis, ut leges de labore & quiete, de cibis, de munditie & immunditie, de vestitu &c. In secunda classe sunt I. leges quæ respiciunt societates simplices 1. nuptialem, 2. patriam, 3. dominicam. II. Quæ respiciunt statum patrisfamilias intuitu domus totius: leges videlicet de agriculturâ, de artibus & opificiis, de bonis immobilibus & mobilibus, III. De officiis erga domum ingenere, de

de principiis iusti & decori ingenere. IV. Inspecie de officiis quoad sermonem, conversationem, delectationes & gaudia, tristitiam & funera, de honore senum. V. In specie de iusto, quo ad modos acqui-
rendi, & effectus domini, successiones, contractus, delicta in concives. VI. Porro de administratione iustitiæ partim in iudicio civili, partim criminali. VII. De cultu externo regis sui, id est Dei, ubi de je-
junio & votis. VIII. De ministris Dei, Sacerdotibus, Levitis, Prophetis. IX. De delictis in Deum, & ejus ministros commissis. X. De Bello, Pace & fœderibus. Ad hæc capita commode referri posse omnes
leges Mosaicæ, eamque methodum esse maxime natura-
lem, facilem & ad meditandam sapientiam di-
vinam aptissimam, facile dijudicare licet. Salvo
aliorum, meliusque hæc leges disponentium,
arbitrio.

§. XXXVII. Cum vero leges humanæ Gen-
tiumque mores raro affectus, quietem animi tur-
bantes, sedare, quin potius eosdem irritare videan-
tur. Ita tamen, ut iis sæpius tyranni uti possint
tanquam instrumentis ambitionis, & talibus mori-
bus etiam imbuti erant Israelitæ in Ægypto, intendit
Deus per Mosen istiusmodi leges condere, quibus
admonerentur Israelitæ de quærendâ ante omnia
pace internâ, atque stabiliendâ pace externa,
non solum in Republ., sed etiam cum populis vicinis.
Poterit autem iste finis non melius obtineri, quam si
(I.) leges promulgentur, per quas populus disponatur
ad opera humanitatis, reliquarum virtutum, com-
munis

*Leges Mo-
saicæ pacem
internam
& externam
optime sta-
bilitate in-
tendunt.*

munis amoris &c. omnibus civibus exhibendā, classem legum, inculcantium virtutes humanitatis, exhibent. *Exod. XX. v. 12. 17. XXI. v. 2. 11. XXII. v. 21. 27. XXIII. v. 1. 7. Levit. XVIII. 18. 30. XXV. 26. 27. XIX. v. 14. XXII. 1-4. XXIII. 19. 20. 24. 25. XXIV. 6. 10. 12. 22. XXV. 4* (2.) Ut occasiones, affectus vitiosos voluptatis, ambitionis & avaritiæ, irritantes, quantum fieri potest, præscindantur, etsi populus jam actionibus externis, ex his affectibus vitiosis propullulantibus, aduetus sit. Hanc classem legum, occasiones & irritamenta peccandi præscindentium, sistunt. *Exod. XXI. v. 2. 11. 26. 27. 29. 35. 36. XXII. 5. 6. 14. 15. 25. 26. 27. 28. 30. 31. XXIII. 8. 13. 16. 19. 30. 32. 33. Levit. III. 17. IV. VI. 1. 7. Item reliqua VII & ibi præprimis v. 19. 27. XI. XII. XIII. inspecie v. 5. XIV. XV. XVII. v. 10. 16. XVIII. XIX. v. 6. 9. 10. seqq. 18. 19. 23. 31. 35. 36. XXI. XXII. XXVI. 1. 2. XXVII. Num. V. potissimum v. 11. & 31. VI. XV. 37. 40. XIX. 11. 22. XXX. Dent. XI. 18. 19. XII. 23. XIII. XIV. XV. 4. XVI. 1. 17. 21. 22. XVII. 1. 7. 14. 15. 20. XVIII. XXV. 15. 16. XXII. 5. 12. 13. 14. 15. 21. 28. 30. XXIV. 7. XXV. 5. 13. 16. XXVIII. 15. 68.* (3.) Ut istiusmodi vitiosi corruptisimique affectus gravioribus pœnis coerceantur secundum leges prudentiæ pœnalis. Hanc classem tertiam legum, peccata severe punientium, porrigunt. *Exod. XX. 1. 7. XXI. 12. 14. 17. 23. 26. XXII. 18. 19. 20. XXXI. 14. XXXV. 23. Lev. XX. XXI. 9. XXIV. 20. 21. XXVI. 14-41. Num. XV. 32-36. Dent. XIII. 5. 9. 10. 15. XVII. 5. 12. XIX. 12. 13. 15-21. XXI. 18-21. XXII. 21. 27. XXIV. 7. XXV. 11. 12.* (4.) Ut & in ipsis legibus pœnalibus ubique ratio habeatur humanæ imbecillitatis, & ii saltem



saltem actus gravibus coerceantur pœnis, qui propius turbant tranquillitatem Reipubl., reliquis vel toleratis, vel dissimulatis, vel minoribus pœnis castigatis. Hanc classẽ quartam legum, imbecillitatis memorum, demonstrant *Exod.* XX. v. 8. 11. XXIII. v. 12. 15. 16. XXI. v. 13. 18. 22. 28. 30. 34. XXII. v. 1. 4. 16. 17. XXXI. XXXV. XL. *Levit.* I. II. III. VI. XIX. *seqq.* *Deut.* XII. v. 15. XVI. II. 12. 15. XIX. I. 10. XXI. 10 - 14. XXIV. 1 - 4. XXV. 1. 2. XXX. 12. *seqq.* (5.) Ut justitia de simplici & plano, ac celeriter administraretur. Hanc de celeri administratione justitiæ legem inculcant. *Exod.* XXII. 7. 16. XXIII. 1. 2. 3. 6. 7. *Num.* XV. 30. *seqq.* *Deut.* XVI. 18. 19. 20. XVII. 6. 7. 8. 12. XVIII. 15 - 21. XXI. 1. 9. (6.) Ut mores populi ita sint compositi, ut illi non irritent vicinos populos, ac ipsis justam belli causam præbeant, sed officia humanitatis illis potius exhibeant. Hanc classẽ legum, pacem cum exteris inculcantium, præcipiunt. *Levit.* XIX. 33. 34. XXIV. 22. *Num.* XV. 14. 15. 16. 26. 32. *Deut.* XXIII. 3. 8. 15. 16. *Item* XXV. 17. 18. 19. (7.) Ut tamen & cives, si vicini ex injusta causa velint bello eos aggredi, ad belligerandum non sint inepti. Septimam legum classẽ, populum ab bella aptum facientium, & in bello de pace & de decoro studentium, injungunt *Deut.* VII. *seqq.* XX. XXIII. 9 - 14. *Item* XXIV. 5. Observandum vero heic venit, quod in una lege sæpe possit esse intentio varia, cum unius rei plures possint esse fines. Quare non anxie quærendum erit, utrum ad hanc, an ad illam classẽ lex aliqua referenda sit. Accedit, quod & classẽ istã ita ad componendum statum

G

Rei-

Reipubl. felicem omnes inter se connexæ sint, ut, si una classis tantum omittatur, magnus fiat hiatus in utilitate Reipubl., ita & quædam classes sibi propius cohærent. Non enim poterunt commodè studia virtutum inculcari, nisi aliis legibus præscindantur occasiones & irritamenta peccandi, frustra hæc præscinduntur, nisi proæretici peccatores graviter coercantur legibus pœnalibus. Debent tamen leges pœnales inftar medicinæ, & semper memores esse imbecillitatis humanæ. Imò non poterit legislator incitare subditos ad officia humanitatis, nisi & humanitas occurrat in legibus pœnalibus. Frustra porro sunt leges pœnales, nisi pœnæ executioni dentur celeriter, justè tamen. Frustra sunt præcepta, virtutes inculcantia, & præscindentia irritamenta peccandi, nisi justitia celeriter, juste tamen, administretur. *Dn. Thom. in Colleg. manuscr. de Prud. Legisl. c. 8. §. 8. seqq.*

*De Statu
felicissimo
& simplici-
tate populi
judaici.*

§. XXXVIII. Conjungenda autem est cum consideratione legum Mosaicarum meditatio status totius populi, legibus his & moribus introducti. Deprehendes omnia ibi simplicia fuisse, sed eo sanctiora, quo simpliciora. Ita quoad statum personarum erant quidem Dominus & servus, maritus & uxor, pater & filius, cives & peregrini: Sed non erat distinctum officium civis & militis. Non erant Rex, Duces, Comites, Barones, Nobiles: ergo etiam nulli erant ignobiles. Virtus nobilitabat, omnes æque erant liberi, & poterant virtute suâ ambire omnes dignitates. Ita magnam partem præscindebatur

batur ambitio , quæ multum irritatur per nobilitatem, ad liberos transeuntem. Omnes erant agricolæ, nemo mercator, qui cum exteris commercia haberet. Nemo poterat alienare bona extra familiam: nullæ subtilitates in acqvirendo dominio aut contractibus, nulla testamenta, nullæ usuræ, nulla durities creditorum erga debitores, processus judicialius simplex & celerrimæ expeditionis, nullum juramentum testium, gravis pœna falsi testimonii erat &c. Ita præscindebantur irritamenta avaritiæ. Ita rari erant pauperes, ubi enim nullæ divitiæ, ibi nulla paupertas, sed omnes habent, quantum satis est, etsi hæc, paucis contenta, satietas in comparatione ad divitias aliorum vulgo pro paupertate habeatur. Omnes laborabant manibus, (etiam Levitæ) nulla diversoria, nulla lupunaria, nulli loci lusibus destituti, nulla pharmacopolia, nulli coqui publici inibi deprehendebantur, ita præscindebantur irritamenta voluptatis, & nulli ibi erant medici, rari fures. Uno verbo: quocumque te veritas, apparebit, sapientissimè à Mose jussu divino Rempubl. fuisse ordinatam, ita, ut necessario inde sequatur, Rempubl. talem naturâ suâ promittere magnam felicitatem, & quietem temporalem, & etiam durationem, si modo populus illum statum moribus suis conservet, & legibus istis obedientiam præstet.

§. XXXIX. Alia autem, altiorisque indaginis quæstio est, an lex Mosaica, tanquam lex perfectissima, hodie rursus introduci possit? Imo debeat? Si enim Moses per eas corruptissimos Israelitarum

*An lex
Mosaica
hodie rur-
sù introdu-
ci possit?*

in Ægypto mores correxit; cur non per earum révocationem principes Christiani Christianorum corruptos mores corrigere possent? Prout *Grotius, Hotomannus, Zepperus* aliiqve passim urgent, indeqve leges Mosaicas non omnes abrogatas, sed multas adhuc etiam Christianos principes obligare autumant. Verum non omne perfectum quadrat ad emendandum imperfectum. Non omnis medicina ad tollendos omnes morbos est apta. In finitis modis differunt corruptiones morum humanorum, quia sunt infinitæ. Ipse Moses, quam perfectæ etiam fuerint ipsius LL., & quam simplices, non potuit tamen iis emendare mores adulatorum in Ægypto, etsi quotidie miraculis maxime terribilibus ipsorum resistentiam cõcereret. Igitur necesse habebat eos per 40. annos in deserto detinere, donec omnes, excepto Josua & Calebo, qui in Ægypto fuerant, morerentur. Unde impossibilis fuisset introductio harum legum, si statim Israelitæ terram promissam occupassent, & à moribus gentium vicinarum & recordatione morum Ægypti fuissent incitati. Quomodo autem princeps Christianus hodie potest populum suum in desertum deducere, ibi demum novas LL. publicare, cives omnes eductos ibi tamdiu detinere, donec omnes moriantur, & infinita miracula in deserto facere, quibus testetur, auctoritatem suarum legum divinam esse. Ne dicam de summa harum legum connexionem, quarum altera ab altera, & sic civiles leges a legibus sacris divelli nequeunt. Jam vero leges cultus Levitici velle introducere



ducere in Christianismum, idem esset, ac velle Christianismum abrogare. Quod si quis arcana papismi exactè trutinet, deprehendet, quod non infimum inter ea fuerit commendatio legum Mosaicarum quoad cultum Leviticum puta de sanctificatione sabbathi, de decimis, de autoritate Archi-Sacerdotis & Levitarum, de oblationibus, unde oblatio per officium Missæ: hâc igitur legum Mosaicarum aut Status Mosaici introductione in Christianismum potestas principum circa sacra valde fuit imminuta. Non poterit igitur ob summam legum Mosaicarum connexionem absqve confusione Reipubl. Status Reipubl. Mosaicæ introduci. Quod si enim princeps velit ejicere omnes status luxuriosos luxuriam, otium & mendicitatem promoventes, quot milia hominum peribunt; & hoc crudele foret, aut ex Reipubl. abibunt, & hoc Rempubl. enervaret, aut tumultum cum successu (tanquam potior Reipubl. pars, & quos desperatio facit audaces) excitabunt, & hoc Rempubl. majori malo afficiet, quam tolerantia corruptionis præsentis.

§. XL. Nulla inter cæteras gentes deprehenditur Respubl., cujus mores & structura propius ad prudentiam Mosaicam accedit, quam Veterum Germanorum, si cum primis illud caput, quod vitiorum irritamenta esse præscindenda jubet, accuratius pensitaveris, utut quidem exactam inter Rempubl. Israeliticam & Germanorum comparisonem ideo instituire non possumus, quia Tacitus non plene describit eorum mores, sed saltem eos, quibus a
Ro-

*De Moribus
Germanorum
Veterum.*

Romanorum moribus differebant, diversum sibi sæpius, quamvis non mala fide, de Germanorū moribus conceptum imaginans. Id tamen in confesso, & ex historiis videre est, Germanos communi omnium Rerumpubl. antiquarum vitio, nimio nimirum belli studio laborasse, nimiamque venationibus, quæ affectum, mansuetudini & humanitati plane oppositum, pariunt, operam dedisse. Exercebant enim atrocina Gentis in Gentem, bibacitatem &c.

De Legibus Romanis, & quomodo totus Jurisprudentia Rom. ambitus ad paucula capita redigi possit?

§. XLI. Quod vero Jus Romanum hanc mensuram non impleat, nedum irritamenta vitiorum amputet, paucissimaque saltem capita, ad Jurisprudentiam legislativam spectantia, referat, alibi, nihil fallor, plenius ostensum fuit. Artes, quomodo Jurisprudentia Romana nimium quantum crevit, tres format *Hotomannus*, prima in jure constituendo, altera in bene dicendi facultate, tertia in rei militaris administratione posita est, neque enim aut societas inter cives sine jure coiri, aut pacis ornamenta sine eloquentia retineri, aut belli pericula finitimorumque injuriæ sine rei militaris disciplina repelli possunt. Scilicet, ut ad ipsas leges propius accedamus, fundamentum totius Jurisprudentiæ Romanæ consistit in libertate, tanquam libera agendi facultate, nisi quid vi aut jure prohibeatur, & qui hanc non tenebant, Juris Civilis incapaces erant, uti servi, peregrini &c. Jus illud libertatis, quod commune vocabant, in jure connubiorum, testamentorum & contractuum absolvitur, unde nec servi nuptias contrahere, nec testamenta condere, nec contractus cele-

celebrare poterant. Sub contractibus autem in-
sensu latissimo jus in re & delicta comprehendi pos-
sunt, illud enim ex liberrimâ dispositione pariter
fluit, &, cum rem ipsam afficit, contra quemcunque
possessorem vim suam exercet, uti dominium, pos-
sessio &c. Hæc autem ad contractus involuntarios
spectabant, nam qui delinquit, is ipso hoc facto
nolens volens in pœnam consentit. Qui vult ante-
cedens, vult consequens. Quod si jam diffusissima
Romanorum placita, tot involucris circumsepta,
paululum percurramus, & ad genuinos fontes re-
feramus, sane, quæ tam operose, sæpius inepte, &
citra necessitatem ullam Romani statuerunt, ad pau-
cissima capita referri possunt. Si jus connubiorum
consideremus, per se patet, quod ex instinctu Natu-
ræ, quo mortales ad propagandum suum genus
feruntur, facultas hæc universo generi humano in-
dulta, neque quis, ubi commoda se nondum sinit
occafio, ad matrimonium ineundum adstrictus sit.
Quod autem aliquæ personæ invicem matrimoniū
contrahere nequeant, illius mensuram dabit Leviti-
corum caput XVIII, ubi non gradus, sed personæ
prohibentur. Sponsalia consensu parentum, &, his
deficientibus, proximorum cognatorum, & in horū
defectum, magistratus, ineunda probari, dos autem,
cujus usufructus, si in re immobili consistat, stante
matrimonio, marito indultus, aut, si in pecunia aliâ-
ve remobili constitutus fuerit, in salvo esse, &, soluto
matrimonio, uxori restitui debet, sed hisce omnibus
pacta dotalia, quæ tamen ad evertendâ dotis causam
ver-

*De Matri-
monio.*

*De Contra-
ctibus.*

vergere non debent, legem dabant, fluunt enim ex liberrimo arbitrio, & ex hoc fonte donationes propter nuptias, dotalitia, &c. facile determinari possunt.

In Materia de contractibus salutaris maximeque naturalis regula, quod omne pactum præcise servandum & adimplendum sit, multas amputabit controversias. Si contractus cum jure reali conjungerentur, & pro regula immota haberetur, quod omne jus sit jus reale, nam in contractibus non personam, sed facultates personæ respicio, neque enim vel mendico, vel bonis lapsò notabilem pecuniæ summam facile mutuo dabo, imo, si nullum admitteretur debitum, plenissimam habens validitatem, nisi quod judiciali autoritate confirmatum, & in publicum librum esset relatum, infinitæ sæpius controversiæ cessarent, quo *de vid. tract. nost. de Defect. Jur. Comm. in Germ. probl. 7. §. ult.* In concursu creditorum regula æqvissima locum tenebit, qui prior tempore potior jure. Quod si autem ulla juris materia diffusa, intricata, multisque calamitatibus & litibus est obnoxia, est sane ea de testamentis, at vero illam paucissimis regulis includi posse, firmissimè persuasus sum.

*De Testa-
mentis.*

Scilicet, quicumque ultimam voluntatem conditurus est, is, si liberis modo legitima sit salva, qualis pro numero filiorum filiarumve secundum jus commune dimidia vel tertia hereditatis pars esse debet, liberrime, & indistincte sive de tota, sive de quâlicunque bonorum parte disponit, nam uti disponit, ita jus est, neque opus est, ut præcise heredem instituat, sed nomine legatorum, vel quocunque alio titulo, sive

sive totam, sive partem hereditatis in alium transferre poterit, & sic distinctio inter testamenta, legata, fideicommissa, & codicillos, in mera consistens subtilitate, sponte corrui; necessum tamen est, ut hæc testatoris voluntas accuratè probetur; fieri autem hoc commodissime potest, si testator aut duos idoneos adhibeat testes, aut, quia hi facile decedere possunt, hanc voluntatem iudici vel oretenus, ut protocollo inseratur, proponat, vel in scriptis eandè offerat; ubi, si de testatoris manu, quando *ὁ λόγος αὐτοῦ* est, aut ejus subscriptione, deliberato factâ, constat, de valore testamenti nullum suboriri potest dubium. Fœminæ heic à testimonio non repellantur, bene illi, qui ex tali testamento lucrû capiunt. Sicuti etiam illos, qui vel testatorem vel heredem qualicumque sanguinis vinculo attingunt, à testimonio arcendos esse præstabat. Ingratos & sceleratos filios exheredat pater ex Nov. iij. quod si vero causa, inibi expressa, & a testatore allegata, probari non possit, cætera quidem testamenti capita valebunt, legitima autem filiis semper debet esse salva. Qui vero in testamento obscura fuit locutus, contra illum fit interpretatio, & nihil actum esse censetur. Ad eundem modum reliqua Juris Romani placita ad exiguû numerum redigi possunt, perinde ac suo jam tempore Cicero tentaverat, ut hoc, quod in tota juris disciplina civile vocamus, in parvum quendam & angustum concludatur locum.

§. XLII. Quod si alias aliarum Gentium leges & mores perlustremus, in signes in iis deprehendere

*De Legibus
Ægyptiorû.*

H

licet

licet n̄vos. In legibus Ægyptiorum notant crudelitatem p̄narum in parricidas, nimiam lenitatem in parentes, liberos interficientes, in eos, qui secreta revelarent, qui falsum committerent, qui viatorem, a latronibus in vasum, non defenderent, qui adulterium committerent, quas ideo crudeles vocant, cum melius fuisset hosce delinquentes morte necare, cum perpetua, eaque gravis, ignominia sit crudelior morte. Deprehendunt deinceps in iis irritamentum ad fraudes & injustitiam in lege de licentia furti, & superstitionem nimiam, omnibus decantatam. conf. *Hermani Witsii Ægyptiaca, sive de Sacrorum Ægyptiorum cum Ebraicis collatione.* Quod *Charondam Thuriorum legislatoris* leges concernit, putant, *Diodorum Siculum in lib. 12. Biblioth. Histor.* In hisce referendis commendandisque oratorem magis, quam philosophum agere, eoqve referunt nimiam, quæ in hisce legibus occurrit, p̄narum duritiam & oblivionē imbellicitatis humanæ, quorsum spectant leges de non inducenda liberis novercâ, de p̄na calumniatorum, de confabulatione civium, de p̄na fugientium in prælio. Quas *Zaleucus Locrensius* legislator tulit leges, a *Diodoro d. l. 12.* relatas, magis sunt adhortationes quam leges, cum sanctione destituantur, proinde vitium ipsis inesse putant, quod singulos pene casus singulis legibus coerceri voluerit, multiplicatâ hac ratione legum multitudine, parum aptâ; summam spirant asperitatem leges illæ de prohibito vino, ægris sine consensu medici porrigendo sub p̄na capitali, item de puniendo per ex-

De Legibus
Charonda
Thuriorum
legislatoris.

De Legibus
Loerenfbg.

cæca-



excitationem adulterio. *Draconis* leges ob nimium rigorem male audiunt, indeqve sanguinariae dicuntur, neqve excusatio, eo nomine a *Meurfio in Solone cap. 13. p. 44. seqq.* allata, exigua sc. delicta mereri poenam capitalem, ad magna majorem poenam non dari, pro sufficiente habenda. Inter omnes vero leges & instituta *Lycurgi* leges comendantur, quæ majorē spirare videntur prudentiam, quam in legibus forte Atheniensium aliarumqve Rerumpubl. deprehenditur, nam populus Lacedæmoniorum, quamdiu secundum has *Lycurgi* leges vixit, gloriose & beate vixit, quo de plenius egit *Plutarchus in vitâ Lycurgi*; sunt tamen haud levia, quæ rectitudini harum legum objici solent; opponunt enim subtilem *Lycurgi* ambitionem, vi potestatem legislatoriam sibi arrogantis, atqve, se statuta illa ab Apolline accepisse, subdole fingentis, quo ipso populus Spartanus non potuit non in idololatrâ superstitione, maxime noxiâ, confirmari. *Conf. Bailius in dict. Critic. voce Lycurge.* De legibus Solonis agit *Plutarchus in vita Ejusdem.* Nævos Status Ecclesiæ Romanæ *Theodosius Gibellin⁹, Scriptor Pseudonimus in Cesareo-papia Romana, Pufendorfius in Introd. ad Histor. c. ult. Conring. in Thesaur. Rerumpubl. p. 2. t. 22. p. 899.* accurate, & invictus exhibuerunt rationibus. Constat vero, Statum Monarchiæ papalis non tam esse certam Reipubl. speciem, sed potius monstrum aliquod politicum. Qui enim Regimen Ecclesiæ, à Summa Potestate, contradistinctum, statuunt, illi statum in statu formant, & Reipubl. graviter perturbant. Jamdudum

De Legibus Draconis.

De Legibus Lycurgi.

De Statu Ecclesiæ Romanæ.

invictis evictum est argumentis, Ecclesiam esse in
 Republ., non Rempubl. in Ecclesiâ, multo minus
 Rempubl. unam posse esse bicorpoream, Ecclesiasti-
 cam & Politicam. An vero istiusmodi Status, per
 reformationem, & postea haud exigua sui parte di-
 minutus, diu adhuc duraturus sit, non quidem defini-
 re, & ob interesse, heic utrobivis occurrens, dubitare
 hâc de re licet, interim tamen, superstitione sensim
 sine sensu sublata, necesse est, ut autoritas papalis
 labatur: non amplius alienis, sed propriis videmus
 oculis, advertimus indies nævos, postquam genuina
 moralis disciplinæ fundamenta & indolem veræ,
 non larvatæ, religionis excolere tentamus. Erum-
 punt technæ, quibus ipsi sæpius protestantes, papa-
 lem sibi autoritatem arrogantes, sub prætextu reli-
 gionis insultare cœperunt, & si præjudicia infantæ,
 & autoritatis, propediem deponamus, & vera Chri-
 stianismi principia excolamus, meliora cum tempo-
 re tempora nostra habebunt fata. Inter potiora
 rationis Status Turcici capita refertur absoluta po-
 testas Imperatoris, & quod subditi hanc absolutam
 potestatem tanquam articulum fidei sibi persuade-
 ant, educatio peculiaris & studia in Seraglio eorum,
 qui destinantur potissimum functionibus Imperii,
 destructio provinciarum occupatarum in Asia, &
 aliis locis, a sede Imperii longe distitis: quod nulla
 officia apud ipsos sint hereditaria, & adeo nulla nobi-
 litas sanguinis: frequens mutatio officialium: varia
 media augendi numerum subditorum, tolerantia
 religionum causa, emtio servorum Christianorum a
 Tar-

*De Monar-
 chiâ Turci-
 câ*

Tartaris, permissio polygamiae, & divortium, religio ex Judaismo & Christianismo mixta, insigne studium militiae; selecta militia Janizarorum, desperatus modus belligerandi apertis praeliis, modus finiendi belli retentis semper quibusdam, quamvis paucis locis, bello occupatis. confer. *Conring. Thesaur. Rerum publ. p. l. t. 9. p. 598. seqq.*

§. XLIII. Cæterum vel solo nomine Jura Gentium Europæarum recensēbimus. In Hispania Constitutiones regni vocantur *leges Septipartite seu leges partitarum*. In Portugallia *Ordinamenta & Jus Regium*. In Galliae maxima parte valet Jus Gallicum, nunc *Codice Ludoviciano*, qui anno 1667. publicatus fuit, comprehensum. At in Parlamento Tholosano, Gratianopolitano & Burgidalensi valet Jus Civile Romanum, unde & Provinciae, eo pertinentes, vocantur provinciae Juris scripti. In Anglia valent *consuetudines Regni & Statuta Parliamentaria*, in curia militari tamen simpliciter valet Jus Civile. In Regno Daniae est *Jus Waldemarianum*. Juris Suedici *Codex* An. M CCCC LXI. jussu Christophori Regis conscriptus fuit. *Jus Russicum* sub Alexio Michalowitz An. M DC XLVII. conditum. *Jus Polonicum* ex consuetudinibus patriis componi coepit, augmentaque sua indies adhuc capit. *Jus Hungaricum* collectum à Stephano Werbeuzio An. M D XIV. dictumque fuit opus tripartitum. *Jus Turcicum* scriptum nullum est, sed ex arbitrio judicum pendet. Fundamentum tamen in Alcorano jacere putant: Qua de causa etiam Cadios inter-

per-

Jura Gentium Europæarum.



personas sacras numerant. *Confer. Dn. Becmannus
Consect. Pol. c. 15. in f.*

*De Pru-
dentia Le-
gislatoria
Christiano-
rum.*

§. XLIV. *Q*uod si statum Prudentiæ Legislatoriæ Rerumpubl. Christianorum consideremus, & cum sæpius laudatâ lege Mosaicâ conferamus, hanc umbram perfectionis Christianæ esse deprehendimus. *Q*uamvis enim lex Mosaica, prout visum est, in comparatione ad alias leges fuerit perfectissima, non potuit tamen mutare & corrigere corruptam hominum naturam, enormes cupiditatum actiones reprimere, tranquillitatem externam promovere, ipsas cupiditates tollere, & Judæos ad tranquillitatem internam perducere, quod vitium non legum, sed hominum est. Uti enim omnipotentia divina nihil decedit, etiamsi non possit impossibilia, ita nec sapientia divina legum Mosaicarum quicquam detrahitur, etiamsi non potuerit introducere tranquillitatem & pacem internam, quia & hoc impossibile est ut per leges fiat. Impossibile est, uti jam diximus, per coactionem ducere aliquem ad amorem, qui est fons tranquillitatis internæ. *Q*uamdiu Israelitæ vixerunt secundum leges Mosaicas, tamdiu eorum status necessitate morali, & in comparatione ad alios Status, fuit felicissimus, sed istud non potuit efficere lex, ut subditi secundum leges has, etsi optimas, vivere desiderarent. Obsticit enim partim corruptio communis hominum, quâ semper in vetitum nitimur, partim pertinacia peculiaris Judæorum. Id certum est, quod omnibus Rerumpubl. formis Theocratia Status Mosaici præferenda sit, cujus præ-

præstantiam & structuram eleganti dissertatione exposuit *Spencerus in tr. de leg. Ebraeorum ritual.* Quamprimum vero ab illa structura Israelitæ discedebant, & regem sibi eligebant, multum turbabatur ista Reipubl. Mosaicæ connexio. Præprimis cum Jeroboamus cultum leviticum, & institutum a Salomone jussu divino cultum templi Hierosolymitani abjiceret, & populum Israeliticum a populo Judaico separaret, ac regnum absolutum meditaretur. Apud Gentes subsequenti temporibus illi, qui Rempubl. administrabant, vera condendi leges sapientia erant destituti. Philosophi gentiles inanibus de natura summi boni, & mediis id acqvirendi, quæstiunculis ineptiebant. Judæi, post captivitatem Babylonicam & pravis moribus & scissione sectarum Pharisæorum ac Sadducæorum, & inde profluentibus impiis & absurdis explicationibus legis Mosaicæ magis magisque corrupti, frustra in illis quærebant salutem. Placuit igitur divinæ clementiæ in plenitudine temporis mittere filium suum Jesum Christum, qui veram doctrinam de tranquillitate internâ, velut Unico summi boni fonte, mediaque hanc per fiduciam in ipsum, (in quo divinitatis plenitudo habitabat,) acqvirendi, præmiumque hujus & futuræ vitæ hominibus inculcaret, & sic eos a morte peccati, & irâ divina, emendatione internâ liberaret, doctrinam suam morte & resurrectione obsignaret, ac ita omnes legislatores humanos, omnes philosophiæ gentilis rationes confunderet, ac in triumphum duceret, & solam ac unicam viam ad salutem & felicitatem perpetuam,



petuam, per Cainitas & posteros Noachi a recessum eorum à vera patriarcharum ecclesia obfuscatam, in lucem revocaret. Ex quo sua sponte fluit, præcepta Christi, cum in iis omnem perfectionem devotissime suspiciamus, legib⁹ Mosaicis longe perfectiora fuisse. Christus tamen non fuit novus legislator, nunquam enim intendit novum populum aut novam Rempubl. peculiarem instituire, prout pereleganti tractatu *de Habitu Relig. ad vitam Civil.* demonstravit *Pufendorfius. conf. tr. nost. Jur. Nat. c. 1. §. 19.* Observant vero notantque porro Doctores nonnulli, quod antiquissimis temporibus illi ex Doctoribus Christianis, quorum temperamenta ambitione & avaritia eminebant, ac ita natura sua inimici erant actionum, characteres voluptuosæ & indecoræ vitæ palam exprimentium, persuaderent principibus Christianis, quod Christianismi sanctimonia per leges deberet introduci. Ortum hic error debet Gentilismo, ubi fortitudo seu inhumana & immisericors ambitio virtutis absolutæ, voluptas autem vitii nomine, veniebat, indeque Pharisæi peccatores homines voluptuariæ & indecoræ vitæ dediti dicebantur. Sub quo prætextu ambitiosi & avari in homines voluptuosos, indecore viventes, tyrannidem exeruerunt; ipsaque hac ratione avaritia & ambitio cum pseudo-decoro & cultu ceremoniali, ab hominibus invento, tanquam pietas & virtus in Christianismum introductæ fuerunt, & sic Ethnicismus & Judaismus crassissimus larvam Christianismi adsumserunt. Cum vero perpetua post Apostolorum tem-

*De Origine
Legum.*

tempora inter Clerum luxuriantem & severum aut melancholicum extiterit pugna, illaque de Christianismo per leges introducendo hypothesis jam radicata esset, persuaserunt Clerici, luxuriæ & excessibus voluptatis dediti principibus, Christianismum in formulis fidei intellectualis consistere, ut adeo promptam haberent excusationem, si a laicis, quod non sancte viverent, ipsis objiceretur. Formulas semel introductas ambitiosi & avari Clerici, si rursus principes sibi obnoxios nacti essent, retinebant, partim ut infallibilitatem ita suam defenderent, partim, ut hoc prætextu onus respondendi ad objectiones ex sanâ ratione & formulæ morum oppositas effugerent, formulâque illâ tanquam clypeo adversus hæc tela se defenderent, partim etiam, ut eadem uterentur adversus dissentientes sub titulo gladii verbi divini, eosque tanquam hereticos & criminis læsæ Majestatis divinæ reos igne & crudelissimis tormentis possent persequi. Qualis confusio errorumque horû conjunctio ipsum involvit papismum, potestas enim papæ absolvitur 1. In legibus Ecclesiasticis quoad mores & ceremonias. 2. In præscriptione formulæ fidei. Quo ipso, stabilitoque principio hoc, prorsus absurdo, omnes laici, etiam summi Principes & Imperatores, in durissimam & irrationabilem detrusi fuerunt servitute, uti historiæ non loquuntur, sed clamant, indeque, quamvis Germani valde resisterent, non alias, nisi tyrannidem clericalem spirantes, leges expectare potuit Germania. Non parum ad promovendam rem injustam fecit

De Formulæ Fidei

De Papismo.

receptio Juris Canonici, & legum papalium, sub specie pietatis & sanctitatis absurdissimarum, omnē summam auctoritatem magistratui politico adimentium, & in clerum transferentium: confusionem hanc non sustulit, sed auxit introductum deinceps Jus Justinianæum. Ne dicam, quod Papa & Clerus Papisticus artibus suis Germaniam eo tandem redegerint, ut omnis tranquillitas & unio membrorum, cum capite & membris inter se fuerit pene sublata, quæ dissidia maximum incrementum ceperunt, tempore fatalis illius interregni, quod post mortem Friderici II. ultra septendecim annos duravit, ubi, Germania capite destituta, nullisque existentibus judiciis, quilibet potens manu potius & bello, quam justo arbitrio jura sibi competentia vindicabat. Quale damnum per aliquot secula continuatum, per stabilitam postea in Imperio pacem publicam quodammodo sublata, quod vero hæc, aliæque deinceps secutæ constitutiones hunc fructum in totum ferre non potuerint, illius causa esse videtur. 1. Permissio belli defensivi, nam in Republ. bene constituta nullum, & ne defensivum quidem, bellum permittendum. 2. Obscuritas & difficultas fecernendi bellum defensivum ab offensivo, cum, subsequitis turbis, quælibet pars prætendit se gerere bellum defensivum. 3. Introductio in Judicio Camerali processus intricatissimi secundum technas Juris Romano-Pontificii. 4. Confusio Juris Romani cum moribus & Statutis Germanorum, quæ Jurisprudentiam reddebant incertam, & judicia faciebant diuturniora. Emendatio hu-

hujus rei quidem tentata, sed sine fructu suscepta fuit. Committi ea solet Eruditis; Eruditi habentur, qui didicerunt ea, quæ in Academiis docentur. Academia, quæ docent, ex instituto Pontificum acceperunt, Pontifices autem valde caverunt, ne sapiens & prudens doctrina, de genesi & structura Reipubl. prudenter instituenda, Papatui quippe obnoxia, doceretur. Hinc in nulla Academia fundamenta veræ politices, minime vero fundamenta prudentiæ legislatoriæ fuere proposita. Sunt quidem, qui ideam perfectæ cujusdam Reipubl. tum ex professo, tum sub fabulâ ficti cujusdam perfectiqve status eâ intentione, ut tanquam aliud agendo errores communes tanto felicius ostenderent, & ita veram emendationem intenderent, conscripserunt. Quo nomine *Platonis* idea de perfectione Reipubl., quam delineavit in libris decem de Republ., & libris duodecim de legibus, *Ciceronis* pariter & *Thomæ Campanella* libri, de hoc argumento conscripti, ab aliis valde laudantur, ab aliis vero, cum hi libri tædiosis speculationibus aliisque nævis repleti, & ad emendationem Reipubl. parum apti sint, improbantur. Majorem fructum spirare videntur *Thomæ Mori Utopia*, Autor *Historiæ Severambes*, *Baco de Verulamio* in libro, ad finem non perducto de Novis Atlantis, *Johannes Valentinus* *Andrea* in descriptione Reipubl. Christianopolitanae, Autor *der vollkommenen Politica*, worinnen gezeigt wird/wie der Status Ecclesiasticus, Politicus und Oëconomicus Christlich/klüglich und profitabel auf Ophirische Regiments-Art einzurichten sey.

I 2

Quam-

Quamvis enim hæc scripta & consilia ob corruptam generis humani naturam nulla ratione ad effectum deduci possint, habent tamen longe præclara, quæ scopo nostro inservire, & salutem Reipubl. promoverè poterant.

De Interpretatione, ejus requisitis, & regulis huc spectantibus.

§. XLV. Secundum Jcti momentum in solida legum interpretatione consistit; cum enim in verbis legum factisque, in Republ. obvenerint, maxima sæpius dubietas, vel obscuritas nascatur; Hæc adhibita interpretatione debita erant removenda. Declaratur voluntas vel verbis vel factis, utraqve dubia, incerta, atqve perplexa esse possunt. Interpretatio autem nihil aliud est quam dextræ verborum explicatio. In verbis rite explicandis attendendus. 1. Mos & consuetudo loquentis, pro ut ille vocibus communiter uti solet. 2. Si hic non appareat, communis populi interpretatio inspicienda. 3. Si de neutro horum constet, propria genuinaque vocis significatio adhibenda, idemque in factis tenet, ubi 1. agentis, 2. populi consuetudo, & 3. quomodo tale negotium publice fieri debuisset, advertendum. Aliud interpretatio, aliud leges sunt, illam tradit logica, & sic res judicii & intellectus est, qualia quæ sunt, sub spheram legum non cadunt. Leges disponunt de negotiis civium, quomodo instituenda, & sic normam voluntati præscribunt. At quomodo sit judicandum, non voluntatis, sed intellectus opus est, & hinc leges hic suum officium perdunt, vel saltem perdere debent. Ad interpretem requiritur 1. Naturalis mentis bonitas. 2. Cognitio indiciorum, nam qui lin-



Inguæ alicujus non est satis peritus, is speciales sententias, eadem propositas, male interpretabitur. 3. Materiæ interpretandæ, hinc, qui in genere leges non intelligit, ab eo legis cujusdam obscuræ explanationem expectare non licet. 4. Præceptorum logicorum seu artis ratio cinandi. 5. Circumstantiarum, quas agentes respexerunt, & ex quibus adeo voluntas eorum probabiliter potest colligi. Hæ circumstantiæ, quo ad voluntatē verbis prolatam videntur summam 1. circa verba, 2. personas, 3. materiam & 4. finem agentium occurrere. Quo autem hæc tantò clarius patèscant, sequentes subnotamus regulas 1. Verba regulariter intelligenda sunt in proprio suo & famoso significato, quem ipsis imposuit non tam proprietatis aut analogia grammatica, quam popularis usus, quem penes arbitrium est, & jus & norma loqvendi; Sic Locrenses, cum Siculis de Calabria pacifcentes, jurantesque, se regionem hanc pro communi ambobus populis habituros, quamdiu terræ huic pedibus insisterent, & imposita humeris capita gestarent, frustra terram, in calceamentorum solea injectam, & capita aliorum humeris imposita, intelligebant. Sic de Mahomete Turcarum Imperatore narrant, cum, Eubœa capta, alicui promisisset, caput ipsi fore incolume, mox medium eundem dissecurisse. Sic non nemo constanter negavit, se sacerdoti manus injecisse, nam baculo verberaverat, & pedibus eum proculcaverat. Indeque circa verba occurrit obligatio, qua quis in negotiis civilibus juxta consuetum significatum verbis uti debet. 2. Vocabula

De Verborum significatione.

arti-

De Vocabulis artium.

De Conjecturis in Interpretatione necessariis.

De Repugnantia.

artium explicanda sunt secundum definitiones prudentum cujusque artis. v.gr. Quid majestas, quid parricidium, quid exercitus, quid emphyteusis, quid clisterium, quid hæcceitas. Quod si vocabula artium a diversis diversimode definiantur, ad lites præscindendas facit popularibus verbis exprimere, quid per eam vocem intelligamus. 3. Ubi verba simplicia aut verborum complexio plures significationes recipiunt, assumptis conjecturis opus est, ut genuinus sensus eruatur. Atqui hoc tum necessum est, si vel verba simplicia, aut verborum complexio sit ambigua. Sic vocabulum mulierum in dicto 1. Cor. VII. ad virgines quoque extendendum. Conjecturæ quoque adhibendæ ad genuinum sensum eruendum, quando nimirum occurrit 4. *Species repugnantia*, ut, quæ partes invicem pugnare videntur, conciliantur, si modo id fieri possit, nam ubi certa & manifesta est repugnantia, quod posterius inter contrahentes placuit, derogabit prioribus; nemo eodem tempore contraria voluisse censetur. Sic lex una est tyrannicidæ statua ponatur in Gymnasio: Altera, ne mulieri in Gymnasio Statua collocetur. At fœmina est, quæ tyrannum occidit, ubi tamen ex proposita regula pro muliere judicandum erit. Sic est lex; vir fortis, quod volet, poscito. At sunt jam duo viri fortes, qui eandem postulant virginem. Quis jam erit præferendus? R. Qui prior optavit, ubi simul optaverunt, res sorti erit committenda. Aliud est, si contradictio sit saltem apparens, dum propositiones sunt particulares, aut de diversis plane loquuntur

ca-

casibus. Quod si autem propositiones contrariæ tempore sint æquales, tum ea, quæ veritati magis consentanea, præferri debet. Si contradictio saltem particularis sit, tum specialia generalibus regulariter anteponi debent. Porro, conjecturæ voluntatis rectique sensus in sermone ambiguo aut intricato petuntur potissimum ex *substrata materia, ex effectu, & conjunctis*. Circa materiam hæc est regula; Verba regulariter sunt intelligenda secundum *substratam materiam*. Nam semper illi, qui locutus est, materia, de quâ sermo institutus est, ob oculos versari præsumitur, ideoque semper ad eandem sententia verborum attemperanda. Sic, qui de sacrificando loquitur, præsumitur supponere materiam, sacrificio idoneam. Sic, si induciæ factæ sint triginta dierum, intelligendum id est de diebus, qui definiuntur spatio 24. horarum æqualium, non qui mora solis supra horizontem. Sic improbe lusit Q. Fabius Labeo, qui, cum rex Antiochus ex fœdere partem navium dimidiam ei tradere deberet, omnes naves medias dissecuit, ut regem totâ classe spoliaret. De cætero per materiam tam ipse actus, quam hujus objectum intelligi potest & solet. Sic in literis investituræ, vocabulum heredis de masculis & heredibus feudilibus regulariter intelligendum. 6. *De Effectu & consequentibus* hæc est regula: Ubi verba crude & simpliciter accepta vel nullum, vel absurdum aliquod effectum post se essent tractura, a receptiore sensu paulisper deflectendum, quatenus nullitatis aut absurditatis vitandæ necessitas requirit. Sic absurde

De Substrata materia.

De Effectu & consequentibus.

ne-

negabant Athenienses apud *Thucydidem* l. 4. agrum esse Boëotum, quem ipsi cum exercitu infiderent. Sic Bononiæ quondam statutum fuit, ut, quicumque in platea alteri sanguinem elicuerit, gravissimas poenas daret. Ex ea lege delatus aliquando fuit barbitonsor, qui alicui in platea venam secuerat, qui, ut ex ratione ineptâ, in non mediocri periculo fuerat. 7. Magnam quoque ad interpretationem obscurorum adfert lucem, si hæc cum aliis componentur, quæ affinitatem quandam cum iisdem habent; puta cum illis locis, ubi idem de simili agit materia, aut cum antecedentibus & consequentibus. *Coniuncta sunt vel loco, vel tantum origine.* De prioribus hæc est regula: si sensus in ejusdem sermonis loco aliquo plane & perspicue sit expressus, obscuriores locutiones ex illis planis sunt interpretandæ. Cui vicina est altera: in omni sermone interpretando accurate ad antecedentia & consequentia est attendendum, quibus interjecta attemperari & respondere præsumuntur. Hinc, qui vult finem, vult etiam media, nam qui vult consequens, vult etiam antecedens, & viceversa. De posterioribus autem ista habetur regula. Unius & ejusdem hominis obscurum dictum interpretandum est ex ipsius dictis clarioribus, licet alio tempore & loco prolatis. Indeque textus cum textu est conferendus. Nisi manifeste appareat ipsum sententiam mutasse. 8. Præcipuam quoque vim heic habet *ratio legis*, seu causa illa & respectus, qui ad legem ferendam latorem movit, imprimis, ubi constat, unicam eam legis ratio-

De Antecedentibus & consequentibus, ut & coniunctis.

De Ratione legis.

rationem fuisse. Unde sequentes exurgunt regulæ, illa interpretatio legis est sequenda, quæ rationi legis convenit; & contra, rejicienda, quæ ab eadem discrepat. Item, cessante ratione legis unica, vera, & adæquatâ, cessat ipsa lex. Verum, ubi plures ejusdem legis fuerint rationes, non statim unâ cessante tota lex cessat; cum reliquæ rationes ad ejus vim sustinendam sufficere possint. *Fini* pro ipso sæpius actu sumitur, ubi notandum, quod, quando alia indicia non obstant, verba ita accipi debeant, ut actus valeat. Observandum 9. multa esse vocabula, quæ plures habent significationes, alteram laxiorem, alteram strictiorem, id quod multis de causis evenit. Sæpe nomen generis peculiariter uni specierum ad hæsit. In nominibus animalium, ubi desunt communia, masculina etiam notant fœminina, & vice-versa. Interdum etiam usus artis latius patet, quam usus populi, ut mors in Jure Romano ad deportationem producitur, cum apud populum tantum separationem animæ a corpore significet. Quamquam ro. quid favorabile, quid odiosum sit, tam accurate defini non possit, dum, quod uni parti favorabile, alteri communiter odiosum esse solet. Imò nullum negotium licitum natura sua est vel favorabile vel odiosum; & communiter in applicatione hujus regulæ vel fallacia causæ committi, vel plane contra regulam interpretatio fieri solet. Dantur tamen regulæ, circa hanc rem à Grotio productæ, haud inanem spirantes usum, quarum I. est, in non odiosis sumenda sunt verba secundum totam proprietatem usus popularis,

De Vocabulis synonimis

De Favore & odiosis

pularis, & si plures ejusdem vocis in populari usu sint significationes, illa est sumenda, quæ est latissima, v. gr. si in pacificatione conventum sit, ut captivæ utrinque restituantur, intelligendum hoc erit de omnibus & singulis. II. In favorabilibus, si is, qui loquitur, juris sit peritus ipse, aut Jurisperitorum consiliis utatur, verba laxius sunt sumenda, ita, ut non solum significant id, quod in vulgari est usu, sed & includant significationem, quæ in disciplina juris habetur, aut quam lex civilis imposuit. III. Ad significationes vocis plane improprias non est recurrendum, nisi alioquin absurdum, aut inutilitas pacti legisve sequeretur. IV. Contra, verba etiam strictius, quam alias ipsorum proprietates requirit, erunt intelligenda, siquidem id necessarium fuerit ad vitandam iniquitatem aut absurditatem. V. Si non necessarium est, ob vitandam iniquitatem, ut verba intra proprietatem sumantur, nihilominus tamen manifesta sit utilitas in restrictione, subsistendum erit intra arctissimos terminos propriæ significationis, nisi circumstantiæ aliud suadeant. VI. In odiosis etiam sermo figuratus aliquantulum potest admitti, ut onus vitetur. Inde in donatione, in juris sui cessione verba, quantumvis generalia, restringi solent tantum ad ea, de quibus verisimile est fuisse cogitatum. Imo usu fori receptum, ut, licet præmittatur particula universalis, & sequatur specialis enumeratio partium, non censeatur translatum, quod non specialiter exceptum. Dantur etiam quoque conjecturæ aliunde, quam ex verbis, ortæ, quæ efficiunt, ut

*De Conjecturis exi-
suis & re-
strictivis.*

in

interpretatio quandoque sit extendenda, quandoque coarctanda. Et si facilius dentur rationes, quæ suadeant interpretationem coarctari, quam extendi. Potest igitur lex ad casum, qui in lege non exprimitur, extendi, si constet, rationem, quæ in illum casum quadrat, unicam fuisse, quæ legislatorem moveret, eamque ab ipso consideratam fuisse in suâ generalitate, & ut æquipollentes quoque casus complecterentur. Sed & extendi debet lex ad illos casus, qui in fraudem legis ab hominibus prave solertibus inveniuntur. v.gr. Aratrum accipere pignori non licet, vomerem accepit. Lanæ vehere Tarento non licet, oves vexit. Qui patrem occiderit, culeo insuatur, matrem occidit. Insignem quoque usum habet interpretatio extendens circa reprimendas fraudes, quæ a male solertibus hominibus excogitari solent eludendis legibus, uti & circa diluendas quasvis cavillationes. Fraudum ejusmodi quatuor species interpretes Juris Romani faciunt; dum aliam dicunt fieri commutatione rerum *l. 3. §. 3. & l. 7. §. 3. ff. ad Sc. Maced.* Aliam commutatione personarum *l. 5. ff. de don. int. vir. & uxor.* Aliam commutatione contractuum *l. 5. §. 5. ff. eod.* Aliam denique in modo contrahendi *l. 8. §. 14. ff. ad Sc. Vellej.* Ut autem hæc verba generaliter posita restringantur, contingit aut ex defectu voluntatis originario, aut ex casu emergentis cum voluntate repugnantia. Quod aliquis ab initio quid noluisse præsumatur, intelligitur. 1. Ex absurdo, quod alias inde sequeretur id, quod nemo sanus voluisse judicatur. Inde verba

De Restrictione verborum.

*De Aliis
Interpre-
tandi re-
gulis.*

generalia sunt restringenda, in quantum alias absurditas inde erat emersura. 2. Ex defectu rationis, quæ unice ipsius voluntatem movit. Inde sub generali locutione non comprehenduntur casus, in quos ratio legis unica & adæqvata non quadrat.

3. Ex defectu materiæ, de quâ semper is, qui loquitur, cogitasse censetur. Inde & ad eandem verba generalia semper sunt attemperanda. Sunt adhuc aliæ interpretationis regulæ, paucis heic subnotandæ. Scilicet, quotiescunqve oratio secum ipsa pugnat, aut imperfecta, vel ita perplexa est, ut nullum idoneum sensum recipiat, tum nihil actum censi debet, circumspicte tamen agendum, nec oratio, quæ congruam explicationem non respuit, pro perplexa & nulla habenda. Ex quo fluit, quod, si ita ambigua sit oratio, ut diversos sensus recipere possit, in dubio id, quod actum esse dicitur, negare debeamus; consequens etiam est, quod pactio ambigua contra illum sit interpretanda, in cuius potestate fuit legem apertius dicere, *conf. l. 39. ff. de Pact.*, spectat huc regula, semper in obscuris quod minimum est sequimur, *l. 9. 34. 41. §. 1. 56. 192. §. 1. l. 200. ff. de R. I.* & quod de pœnis dicitur. In pœnalibus nempe causis benignius interpretandum, *conf. l. 155. §. 2. l. 168. pr. de R. I. l. 42. ff. de Pœn. Conf. Grot. de J. B. & P. lib. 2. c. 16. & a quo plurima heic hausimus, Pufend. de J. N. & G. lib. 5. c. 12. per tot.* Interpretationem Juridicam nuper eleganter exposuit, & interpretationem doctrinalem, quæ, vel declarativa, vel extensiva, vel restrictiva est, exhausit *Dn. Horn, in prælect. publ. de In-*

Interpretatione Juridica. Plurima cum jam dictis conveniunt, interim summa regularum bonæ interpretationis secundum mentem laudati autoris ad sequentia capita referri potest. 1. Accurate cognoscenda est & consideranda persona, quam gerit is, qui aliquid dicit vel scribit, quo ad statum, affectum, & inclinationem. 2. Attendendum est studiosè, de qua re autor dicere, vel scribere constituerit. 3. Consideranda sunt antecedentia & consequentia. 4. Spectandum id, quod alibi autor scripsit. 5. Consideranda circumstantia loci & temporis, item personarum, ubi, & quando sc. quis locutus est, vel scripsit, & ad quos, vel intuitu quorum. 6. Ea sequenda est interpretatio, quæ cum causâ illa, ob quam legem autor tulit, vel quis cum alio pactus est, vel aliud quid fecit, concordat. Et denique 7. illa interpretatio est arripienda, quæ sanæ rationi congruit, neve effectus vel plane nullus, vel absurdus sequatur. Non omnibus autem regulis hisce simul & semper locus est, sed ex unâ alterâve interpretatio fieri potest. Quod si vero plures concurrant, atque diversos sensus & interpretationes suppeditent, illa eligenda, quæ maxime verisimilis, & sine absurditate admitti potest, vel efficit, ne nihil actum sit, vel videatur.

§. XLVI. In applicando jure ad factum longe maxima Jcti, sive is advocatus, sive judex sit, portio occupatur. Scire leges non est verba tenere, sed vim & potestatem, sola legum scientia legulejos quidem, non Jctos efficit. Theoria sine praxi est corpus sine anima, Frustra igitur & docem⁹ & discimus
Juris-

De Applicatione juris ad factum.

Jurisprudentiam, nisi, quocunqve casu proveniente, jus ad factum applicare noscamus. Ut autem applicatio hæc apte fiat, necesse est, ut ex facto, quod defendendum vel judicandum est, eruantur omnes circumstantiæ, etiam minimæ, quia minima etiam circumstantia rem, & per consequens juris applicationum variat. Antecedentia & consequentia consideranda. Media ad eruitionem facientia in factis antiquis sunt historiarum lectio, in recentibus testes & documenta. In judice naturalis aliqua vivacitas requiritur ex falso eruendi verum, ad quam augendam multum conducit lectio historiarum de iudicibus prudentibus, & meditatio ingeniorum humanorum. Conferendi plures de eodem facto scriptores. In iudicio, ex regulis rectæ rationis ferendo, vitanda sunt præjudicia & affectuum & autoritatis. Requiritur præterea experientia, ut quis sæpe & apte & iuste applicet leges ad facta obvenientia.

De Prudentia Judiciaria.

§. XLVII. Pars hæc a JCtis Dicastice appellatur, & vel in jure reddendo & exequendo, vel in jure scripto dextre interpretando, atqve ad singula facta, in foro obvenientia, cautim applicando *vid. l. 2. §. 5. l. 13. ff. de O. I. l. 13. ff. de Leg. versatur.* De interpretatione jam egimus in §. 45. Posteriora duo membra advocatis, singula autem iudici incumbunt. Magistratus seu iudex est præfectus societatis civilis, cui à majestate concessa est potestas de negotiis civilibus cognoscendi, judicandi, & imperandi ob utilitatem regendæ Reipubl. Magistratus namqve officium regimine & gubernatione civium & subditorum

De Iudice.

ter-

terminatur. Perinde sicut lex, quæ caret executione, est nulla, ita illius executionis faciendæ gratia magistratus est constitutus, ut is sit lex viva, minister, & custos legis, quam vocant mutum magistratum. Potestas namque administrandæ justitiæ formaliter & primo est in Majestate, sive penes unum, sive penes plures sit majestas, per participationem est in magistratibus. Cum autem judicia sint juris & injuriæ adjudicationes, omnes judiciorum actus ad has classes reducuntur, scilicet ad notionem, jurisdictionem & executionem, sive enim negotium civile sive criminale sit, ante omnia factum, de quo diceptatur, cognoscendum, de facto cognito jus statuendū, tandem statuti juris executione opus est. Cognitionis necessitatem ipsa naturalis ratio præscribit, cum nemo damnandus, aut puniendus sit, nisi auditus. Ipsius naturæ vox est apud Tacitum 13. *annal.* 20. c. 5. Cuique defensionem tribuendam, etiam nocenti. Sed & cognitionis diligentia requiritur, ut scilicet satis audiantur partes, ne quid inquirendæ veritatis negligatur. Qualis diligentia multo labore, solertiâ, & patientia constat. Ut autem iudices maximam in cognoscendo diligentiam adhibere debeant, abesse tamen calliditatem, nimiam asperitatem, superstitiositatem, & vicinas superstitiosi opiniones vulgi, fas est. Nimia asperitas in cognoscendo plerumque diligentiam obtentu se tueri studet. Cujus varia sunt genera tum fovendo, & immittendo, nimisque audiendo delatores, tum tormentis sive quæstione per tormenta abutendo, tum per rigorem immobilem omnes

*De Judicio
modoque
cognoscendi.*

omnes circumstantias, ad lenitatem & humanitatem
 ducentes, negligendo. Superstitio insuper a cogni-
 tione removenda: In hunc locum quæstiones variæ
 congeruntur v. gr. an probationes innocentiaë per
 duella, per fortes, per ferrum ignitum, per aquam
 sint admittendæ? Quæ rudioribus seculis non sine
 superstitione recepta. In inquisitione, præsertim in
 veneficiis, multa in usu sunt, quæ, superstitione plena,
 a iudice Christiano abesse debent. Iudex ea, quæ
 dicto quæsitoque opus, ut ut à parte, cujus ea dici
 quæri que intererat, omiſſa, aut non monita fuerant,
 inquirere debet, nam simplicitati hominum subvenire,
 advocati imperitiam supplere, denique, ne quid
 ad plenam, & in quantum haberi potest, facti noti-
 tiam desit, providere debet, atque hoc est non rei,
 sed Reipubl. causam agere, quæ prima iudici lex est.
 Est autem iuste iudicare ita ius statuere, ut 1. regula
 juris dicendi sit lex divina, tum naturalis, tum positi-
 va, tum leges Reipubl., a quibus præsertim iudices
 inferiores non possunt recedere. 2. Ut æqualiter
 ius dicatur, id est secundum merita causæ sine gratiâ
 & odio, aliisque animi perturbationibus. Iustitia
 non novit amicos, veritatem novit, personam non
 respicit, Deum imitatur, æquitatem observat. Ori-
 tur æquitas partim ex ignorantia legislatoris, qui sua
 scientia non potest omnia complecti, partim ex ge-
 neralitate legis, quæ non potest singula definire,
 partim ex discrimine delictorum, quæ, cum ex causis
 & circumstantiis suis plurimum differant, non
 possunt a iudice iisdem pœnis digna iudicari, Porro
 æqui-

*De Equi-
 tate.*

æquitas spectatur. 1. In cognitione, cum in quæstione facti, si obscuritas inest, humaniorem partem sequimur. 2. In ipsis legibus & edictis, æquitate temperatis. 3. In eo, quando lex tollitur, siue æquitati cedit lex ipsa, quod tamen soli majestati reservatum. Quod vero iudex secundum acta & probata, non vero secundum conscientiam suam, ne iudicis & partis officia confundantur, pronuntiare debeat, vix dubium habet, poterit igitur, si meliorem, quam forte probatum fuerit, rei scientiam habeat, iudicium declinare, & partes testis alicujus suscipere. Debet iudex acta, coram se gesta, summâ, quâ poterit, diligentia perlustrare, universa ac singula accuratè examinare, causæ momenta, & utriusque partis rationes probe ab invicem ponderare, atque sic jura sibi præscripta ad statum præsentem applicare. Non sit suspectus, suspectum se facit, si ad unius ex litigatoribus domum diverit, si vel ipse ad aures litigantis insufurrat, vel sibi insufurrari patitur, si vel verbis vel factis uni inter litigantes magis favet, alteri minus, si inimicus est, si ante plenam causæ cognitionem de ejus bonitate & statu vel confidenter nimis & præsumtuose, vel nimis abjecte & depresso verba facit. Munera non accipiat, munera excœcant homines: Prohibetur autem 1. Non simplex tantum donatio, sed etiam quivis alius contractus aut conventio, ex qua iudiciali quod lucrum accrescit. 2. Quod ne quidem propter spem lucri futuri juste vel injuste judicare liceat. c. qui recte ii. quest. 3. 3. Quod nec, finito quidem officio, remunerationis causa aliquid a litigantibus

*De Suspecto
Judice.*

L

acci-

accipere liceat. 4. Prohibita est acceptio munerum, ut acceleretur iudicium, & breviori processu expediatur causa. 5. Quod nec domesticis suis iudex permittere debeat, ut a litigantibus munera accipiant. Amicabilem compositionem inter litigantes non omittat, maxime in exordio litis. Non potest iudex ullam a se causam remove, sed omnibus, etiam quæ plane nullius videntur esse momenti, superesse tenetur. Uti autem peccat iudex, qui imploratus vel omnino nullas, vel nimis angustas largitur dilationes, ita e diverso caveat, ne nimis longas eas faciat, aut multiplicet. Iudex, negligenter & perfunctorie rem suam agens, litem suam facit, & parti ad interesse tenetur. *l. 29. C. de Pact. l. 19. C. de Test.* In omnibus, cum primis vero in causis criminalibus, sanguinem hominis attinentibus, fugienda est iudici festinatio. Nihilque in causæ cognitione omittendum, quod ad statum ejus plenissime percipiendum facit *l. 9. C. de Jud.* Iudici absque gravibus & verisimilibus indiciis, & absque prævia sententia, non licet in inquisitorio processu minas addere de torquendo reo, si verum fateri nolit. Neque promissionem impunitatis facere eum in finem, ut reus confiteatur delictum, de quo fit inquisitio, nisi tale sit delictum, ut, primo quoque tempore id manifestari, Reipubl. intersit. Cautissime agendum, nec ad torturam deveniendum, nisi tum, quando indicia gravia, urgentia, certa & concludentia reum suspectum & tantum non convictum faciunt, ita, ut veritas aliter indagari nequeat. *l. 12. C. de quest.* *Questio juris* est, cum constat, factum esse id, de quo lis est,



nec ulla de hoc inter litigantes controversia, sed id
 saltem disquiritur, num iuste factum sit. *Quæstio
 facti* dicitur, cum non constat, an id factum sit, super
 quo lis orta est, quodque inficiatur reus. In illis se-
 cundum jura pronuntiandum, in his circumstantiæ
 omnes, etiam minutissimæ, attendi, & rigide in judi-
 ciis magnaque cum cura & diligentia examinari
 debent, nec quicquam præsupponat, quod ex actis
 non constat. In quæstionibus juris ad officium ju-
 dicis omnino spectat, ut, si quid in jure erratum anim-
 advertit ab avvocato, non ideo sequatur errorem
 ejus, sed in sententia dicenda, contempto isto errore,
 judicet secundum ea, quæ novit legibus & moribus
 esse consentanea. Quælibet discussio in duobus
 consistit, primum ut veritas facti eruatur, deinde, ut,
 quid in facto iustum sit, determinetur, illud fit per
 probationes, hoc per sententiam. Illud antecedit,
 hoc sequitur. Illud ex facto petitur, hoc ex jure per
 applicationem ad factum. In sententia ferenda ca-
 vere debet Judex ne aliter judicet, quam legibus &
 moribus est proditum. Minister enim, non arbiter
 legis est, indeque nec circa pœnas dispensat, nec
 pœnam lege constitutam mitigat. Porro, quando,
 servatis verbis legis propter circumstantias loci,
 temporis, personarum, sequitur aliqua iniquitas ma-
 nifesta, verba legis non sunt stricte observanda, sed
 attendenda potius est mens & intentio legislatoris,
 in quem finem legem scripserit, & quæ ejus fuerit
 causa impulsiva, quibus in particulari casu deficienti-
 bus lex applicari nequicquam poterit *l. 19. ff. ad
 exhib.*

*De Quæ-
 stionibus
 Juris &
 Facti.*

*De Senten-
 tia feren-
 da.*

l. 29. ff. de Leg. nec ultra id, quod in iudicium deductum est, excedit potestas iudicis, hoc est sententia debet esse conformis libello, & ferri de tota causa. Sententia libello conformis est, quando ei convenit in re petita, in causa, & in actione. In sententia formanda hoc ergo fuerit officium iudicis, diligenter examinare acta, & videre, quid & qualiter petatur ab actore, id est considerare, rem petitam, causam petendi, & modum seu actionem intentatam, conferre deinceps probationes, quatenus ad intentionem actoris faciant, & cum illis omnibus sententiam suam conformare. In criminalibus sententia libello respondere præcise non debet, sed potest iudex pro arbitrio in plus aut minus, quam petatum fuerit, condemnare, quia iudicium civile respicit jus partis, quod in agente radicatum, criminale vero iudicium Jus Reipubl. respicit, in quo nihil sibi dari aut fieri concluditur, sed ad poenam agitur. Sententia iniusta, ut ut maxime inter partes valeat & jus faciat, nisi appelletur, respectu iudicis tamen nunquam transit in rem iudicatam. Quia imo tenetur iudex, etsi pars gravata appellationem interposuerit, eamque deseruerit. Quid JCtus sit? jam suo tempore describit Cicero, qui scilicet legum & consuetudinis ejus, quæ privati in civitate utuntur & ad respondendum, & ad agendum, & ad cavendum peritus est. Quæ posteriora membra ipsis solite advocatis incumbunt. Advocatorum officium requirit, audire primum quæ factum proponatur. Deinde circumspicere attendere quam in causam incidat. Tertio quid de omni illa

*De Cantela
advocato-
rumque
officiis.*

illâ causa in jure sit constitutum tam in regula, quam
 quoad exceptionem. Quarto personæ statum, &
 rei qualitatē, saltem quoad generalia juris, omnes-
 que circumstantias, caute animadvertere. Quinto
 clientem rursus secundum omnes illius causæ, status
 & qualitatis circumstantias denuo interrogare,
 Sexto id, quod vel agendo vel excipiendo de novo
 suppeditat, in chartam projicere, ac septimo tandem
 deliberare secum, an hoc vel illo modo eum adver-
 sario suo agendum & procedendum sit. Poterit
 etiam hæc res secundum quatuor causarum genera
 examinari. Ex quavis controversia & quæstione
 nascitur *Status*, qui est quæstio ex prima causarum
 conflictione proveniens. *Status conjecturalis* est,
 quo quæritur, ecquid factum sit nec ne? *Finitivus*
 est, quo de nomine rei quæritur, *Qualitatis*, quo
 quæritur quale sit factum, hunc in *negotialem* & *judi-*
cialem dividunt. *Judicialis* vel est *rationalis*, ubi
 à natura, legibus, consuetudine, iudicato, æquitate
 & pacto probandum erit, quid jure, quidve injuria
 fiat; vel *legalis*, qui 1. vel est *de scripto & sententia*,
 quando litigantium pars una verbis legis, testamenti,
 aut pacti, altera vero ejusdem nititur sententia.
 2. *Status contrariarum legum*, cum vel duæ leges,
 testamenta aut pacta pugnant inter se, aut pugnare
 saltem videntur, vel unius legis, testamenti, pactive
 duæ partes colliduntur, vel una eademque lex, testa-
 mentum, pactum in casu aliquo secum confligunt.
 3. *Status ratiocinationis*, cum res, de qua non est
 propria lege cautum, colligitur ex re simili, de quâ
 statu-

De Quæ-
 stione status
 controversiæ

statutum est lege. 4. *Status ex ambiguo*, cum disceptatur, quo accentu vox legi debeat, aut quo verbum aliquod referri, aut qua significatione sumi oporteat. *Quantitatis* autem status est, quo de magnitudine rei disceptatio est, v. gr. Si constet esse crimen, sed negetur grave esse crimen. Ubi amplificatio & imminutio facti in primis attenditur. *Conf. Hotoman. in Jct. perfect.* Ante omnia vero, uti jam præmonuimus, tum iudex tum advocatus circumstantias facti plenissime expendere debent. Ubi secundum Aristotelem in examinanda facti indole & natura attenditur. 1. *Qvis*, sive causa principalis. 2. *Quid*. 3. *Circa quid*, vel in quo h. e. objectum. 4. *Instrumentum*, seu causa instrumentalis. 5. *Causa finalis*. 6. *Modus*. Claudius Saturninus *Jct. in l. 16. ff. de Pæn.* Septē momenta, quoad circumstantias observanda, notat 1. *Causam*. 2. *Personam*. 3. *Locum*. 4. *Tempus*. 5. *Qualitatem*. 6. *Quantitatem*. 7. *Eventū*. Omnium optimus circumstantias considerandi modus notissimo illo versu continetur. *Qvis? Quid? Ubi? Quibus auxiliis? Cur? Quomodo? Quando?*

De Circumstantiis.

De Prudentia consultatoria.

§. XLVIII. *Quamvis quidem prudentia consultatoria, in sensu latiori sumpta, legislatoriam sub se comprehendat, & adeo, uti jam monuimus, tanquam genus aliquod præmitti debuisset, non incongruum tamen putavimus, si fundamenta ejus heic subnectamus, & visis, quod præmittendum videbatur, honesti, decori, & justis principiis, prudentiam consultatoriam tum circa actiones proprias, tum circa conversationem vel quotidianam, vel selectam,*
tum

tum intuitu societatum domesticarum, tum intuitu societatis civilis, tum etiam prudentiam aliis consulendi ad ductum *Illustris Thomasi*, (quem in tractatu incomparabili de Jure Consultorum prudentia consultatoria cum pace Viri Summi per totum secuti fuimus, ipsiusque mentem, naturæ humanæ prorsus convenientem, in pauculas redegimus regulas & compendium,) penitus consideremus. Quis enim Reipubl. aliisve consulat? qui sibi ipsi consulere nequit.

§. XLIX. Nemo facile inter mortales deprehendetur, qui non appetat vitam diuturnam, cum maxima felicitate conjunctam, & aversetur ea, quæ vitam vel destruere, vel felicitatem hanc turbare, aut mortem accelerare solent. Omnes tamen, repudiatis, quæ ad hunc finem tendunt, mediis, maximam sibi conciliant miseriam; illa autem communis felicitas obtinetur, si principia honesti, decori & justi rite observemus, & fluentes inde conclusiones teneamus. Principium *Honesti* est, quod vis, ut alii sibi faciant, tibi facias; *Decorum*, quod vis, ut alii tibi faciant, tu ipsis facias. *Justi*, quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris. Qui justis regulas tenet, neminem lædit, vel lædere intendit. Qui regulas decori & amoris observat, aliis benefacere studet, qui regulis honestatis sedulo incumbit, is quotidie incognoscenda imbecillitate propria & oppugnanda pergat, atque affectuum, etiam moderatè noxiorum, ulteriorem moderationem sibi comparare satagit. Quoad regulas *Honesti* incipiendum à seria poenitentia,

Omnes homines querunt felicitatem.

De Regulis Honesti.

tentia, quæ est serla propriæ stultitiæ agnitio. Si
 delectaris gustu & re venerea, summa & maxime
 durabili jucunditate fruuntur temperantes. Si
 gloria, maxima gloria est, vincere se ipsum, nobilis-
 sima vindicta, condonare inimicis, ilsqve beneface-
 re. Si cupidine habendi, quò plus dabis sine certâ
 spe retributionis, eo plus accipies. Si voluptati
 deditus es, metues dolores, cupidinem voluptatis
 necessario & concomitantes & seqventes: Si ambi-
 tioni, metues ignominiam, & odium, ac vituperium,
 quod evitare ambitiosi nequeunt. Si avaritiæ, me-
 tues perpetuam paupertatem, in quâ vivunt, qui
 paucis non sunt contenti. Fugies occasiones, quæ
 irritant cupiditates tuas, quæ res occasiones, quæ eas
 supprimunt, succubuisti cupiditatibus tuis, surges,
 ne perpetuo jaceas, vicisti, cogitabis, quod succum-
 bere possis, ita evitabis & severitatem & desperatio-
 nem. Uteris conversatione hominum laborantium,
 si ignavus es, placidorum, si iracundus, beneficorû,
 si invidus. Non expectabis commodum tempus
 incipiendi emendationem tuam, omnia tempora
 commoda sunt. Quo prius incipies, eò majores
 progressus facies, quo tardius, eo difficilior erit pu-
 gna. Non determinabis tempora eandem finiendi.
 Quo diutius continuabis hanc luctam, eo plura in-
 venies in te emendanda, quo citius desines, eo ma-
 jores vires stultitia tua recipiet. Non quæres solitu-
 dinem, neque separabis te ab hominibus, etiam
 stultis. Nutrit solitudo & voluptatem, & ambitionem,
 & avaritiã. Imò sic fugis sapientes, qui tibi & impe-
 rio & consilio auxilium ferre possunt.

S. L.

§. L. Circa *decorum* sequentes obveniunt regulae. Remittes sponte de jure tuo, i. e. praestabis indigentibus, ad quæ jure cogi non poteris, condonabis, si opus sit, ad quæ jure cogere poteras alios. Si liber es, praestabis aliis officia humanitatis, amicis beneficia. Si servis aliorum imperio, plura praestabis, quam ad quæ jure obstrictus eras. Si imperas aliis, præmia dabis etiam non merentibus, poenas remittes merentibus. Quæ grata sunt, aliis prompte exhibebis, quantum in Te est, & hilari, sed sincera & non fucata fronte. Quæ non grata, non praestabis, nisi ratio recta id exigat, sed absque testatione gaudii. Abstinebis ab actionibus, etiam justis & licitis, si illis aliorum passiones irritari, aut eas ex natura communis imbecillitatis humanæ aliis esse parùm gratas sentias. Quod *justum* concernit. Non turbabis alios, nec impedies in usu juris sui seu superiores, seu inferiores, sive pares, omnes enim æque homines sunt. Ergo non vulnerabis, non occides, non contumelia afficies, non nocebis mendacio, non furtum facies, non damnum dabis, non violabis fidem datam. Est igitur vita felicissima, quæ simul & maximam laudem meretur, & suavissime transigitur, & omnium rerum sufficientia prædita est, hæc tria tamen non nisi in vita quieta conjuncta sunt, non autem poterit quis vel laudabiliter, vel suaviter, vel sufficienter vivere, nisi honeste, decore, & juste vivat. Ex quo consecretarium est, nullam esse veram suavitatem & jucunditatem vitæ, nisi honestam, nullam vitam laudem mereri, nisi decoram, nullam sufficientia vera frui, nisi

*Regula
Decoris &
Justi.*

M

justam.

justam. Vita honesta cum sua jucunditate & suavitate fortissime oppugnat insuaves delicias, & injucunda voluptatis gaudia. Vita decora cum sua laudabilitate oppugnat illaudabilem cupiditatem ambitionis. Denique vita justa cum sua sufficientia suffocat sitim inexplebilem avaræ insufficientiæ. Honestam vitam prospicit paci internæ, decora, ut alliciantur ad auxilia nobis præstanda, & promovendam pacem externam, justa, ut alii non irritentur ad turbandam pacem externam, quæ tria amica conspiratione natura sua sunt unita. *Dn. Thomæ. in tract. de Fund. Jur. Nat. cap. 6. per tot.*

De Prudentia consulenda in suis propriarum actionum.

De Cautelis circa agenda.

§. LI. Quamquam in hac mortalitatis umbra nihil ex omni parte beatum, nihil perfectum, sed omnis nostra vita corruptissima, & scientia nostra saltem particula aliqua sit, eo tamen annitendum, ut de gradu in gradum actiones nostras ad normam perfectionis alicujus componere studeamus. Vita sapientis, & prudenter viventis non est speculativa, sed activa, ergo agenda aliquid. Virtus exercitio paratur, homini laborioso nunquam desunt agenda; agenda sunt, sed solide, pauca, ex paucis fiunt multas, natura paucis contenta. Uti vero nimius agendorum selectus ignaviæ, ita nullus selectus vel ambitionis vel avaritiæ indicium est. Sed nec plura simul agenda, sed, si fieri potest, unum post alterum. Qui plura simul suscipiunt, non perficiunt unum ex pluribus, & ita, dum multa agunt, frustra, vel nihil, vel male agunt; pluribus intentus minor est ad singula sensus. Ast non incipiendum, quod perficere

non

non possis. Est enim indicium vel animi vagantis & inconstantis, vel de viribus suis non solliciti, desistere sæpius ab inceptis. Non tamen requiritur perfectio perfectissima, sed sufficit qualiscunqve, nemo nascitur artifex, & qui nunquam male, nunquam bene. Cordate agendum aliquid. Cordatus nec timidus nec audax est, audet, non est audax. Nam, antequam audeat, deliberat, tum promte h. e. absque timore, adhibitâ circumspeditione debita, exequitur, non deliberare & timidi & audacis vitium est. Progressus fiat à facilioribus ad difficiliora, in tota natura quicquid per saltum fit, ab ordine naturæ recedit. In moralibus etiam & virtutes & vitia per gradus parantur, per gradus mutantur. Tendendum quidem ad summa, sed à summis non incipiendum. Non fit sapiens uno momento. Initio opus est, ut desipere incipiat, ex bestiis primo homines fieri debent, ex hominibus sapientes, sed & in sapientia gradus sunt. Sed nec omnia omnibus sunt æque facilia aut difficilia. Ergo quilibet nosse debet vires proprias, quot, & quibus actionibus sit sufficiens, non omnes ad omnia apti sunt, nec omnes inclinant ad omnia. Nihil faciendum invita Minerva; multi tamen ad ea inclinant, ad quæ sunt inepti, multi abhorrent ab iis, ad quæ tamen facile apti fieri possent, si se applicarent. Ergo prudenti ante omnia danda est opera, ut inquirat, an inclinatio & horror sit naturalis, an ex stulta persuasione & præcipitantia passionis vitiosæ ortus. Felix est, qui in obviente negotiorum multitudine, cum primis verò in suscipi-

ondis functionibus publicis; totum hominem requi-
 rentibus, id elegerit, ad quod maxime aptus est, cum
 in hoc facile excellere, & pluribus prodesse queat,
 quam si genium suum non exacte inquirat. Stultum
 est accipere, stultius ambire; stultissimum maximo
 conatu se intrudere functionibus aut vitæ generi, ad
 quod quis notorie ineptus est. Non tentanda, quæ
 vel in se, vel nobis impossibilia sunt. Hinc stultum est
 incipere, quæ perficere nequeas, insanum, si incepe-
 ris, & non in tempore desistas. Qui à facilibus in-
 cepit, pergere debet in difficilibus, ita enim & vires
 tentantur. Difficultas est cos virtutis. Et pulchra
 sunt, quæ difficilia, & difficilia, quæ pulchra. Igitur
 & prudentibus subinde tentanda difficilia. Tota vita
 nostra lusus est; etiam fatum habet suam incon-
 stantiam, modo favet, modo resistit. Ergo & hic
 fortuna tentanda est: non statim desistendum, si u-
 num consilium haud succedat, tentandum aliud.
 Vix tamen prudens tertium adhibet, si videt, fata sibi
 adversari. Pariter & fortuna tentanda; quamvis
 illa favet, nec tunc tanta cautione, ut alias, opus vide-
 batur. Nunquam tamen soli fortunæ negotium
 committendum, ibi enim nihil habet prudentia,
 quod agat. Scilicet providentia divina tentat homi-
 nes, quantum profectus in sapientia fecerint, suppeti-
 tando eventus infaustos consiliis etiam prudentibus,
 & secundos imprudentibus, igitur hæc maxime re-
 verenter habenda prudenti, qui interdum desinit
 ab agendo, aut certe in media felicitate quiescit.
 Omnes actiones humanæ requiem postulant. Homo
 qui-

quidem ad agendum natus est. Sed variæ sunt actiones ætatum. Juvenes ad exequenda consilia aliorum, viri & ad consultandum & ad exequendum, senes saltem ad consilia danda apti sunt. Suscipienda sunt facilia eadem cautione ac si difficilia essent, quia in momento talia possunt fieri. Contra, difficilia eadem animi fiducia suscipienda, ac si essent facilia. Nemo verò de facilitate negotiorum judicat, nisi ipsarum actionum humanarum naturam noverit. In studiis comparandis addiscendisque prudens vir illa saltem tangit excolitque, quæ quotidiано usui sunt necessaria. Hinc linguas discit, ut perspicue & non indecore loquatur. *Mathesin*, quia sine arithmetica & principiis Geometriæ nemo potest in vita civili infinitas fraudes evitare. *Astrologiam* ad usum æconomicum, & quæ alias calendaria præstant. *Physicam*, quatenus infert ad cognoscendam humanam naturam, & quatenus ejus defectibus ac imbecillitatibus succurrit. Quod si ipse studiosum expertus sit, eruditos in illis disciplinis æstimat, eorum consiliis utitur, ab iis aliquid discere non erubescit, sed non ultra utilitatem generis humani. Breviter, prudentis viri studium maximum in cognoscenda natura humana versatur, atque hæc non in libris, nisi historicis, sed in ipso homine quærenda, neque hic multis, quæ cæteræ disciplinæ desiderant, instrumentis opus, omnia, quæ hic necessaria sunt, secum portat prudens, ubique ei rei incumbere potest, etiamsi inter rusticos aut Getas degat, etiamsi solus sit. Et, quemadmodum disciplinæ, generi hu-

*De Studiis
excolendis.*

*Studium
Humana
Naturæ.*

humano proficua, brevem speculationem, longam praxin requirunt, igitur & prudens sibi persuadet, se eo majorem prudentiam consequi posse, quo citius incipit versari inter agentes, & simul negotiis se applicat. Quin &, si fieri commode potest, non diu versatur in otio Academico, sed, haustus ibi principis, ad bene agendum utilibus, quæ nec longam, nec subtilem speculationem requirunt, reliquum prudentiæ in ipsis actionibus addiscit, probe cognoscens, vitam nostram esse studium perpetuum: Non vero sufficit naturam communem negotiorum scire, necesse est, ut & illius, quod agendum suscipit, peculiaræ scientiam habeat. Cum vero prudens & cautus homo sibi certissime persuadet, esse impossibile, ut nullos inimicos habeat, prudentiæ regula postulat, ut inimicorum suorum consilia, fraudes & violentiam vincat. Fiet autem hoc, si inimicos benefactis vincere, & ita confundere studebit, ita torquebit eos, sentient enim inimici, si benefacere continet, nec ipsorum gratia irascatur, quod eos contemnet. Ast nobilissimum vindictæ genus est contemnere mala, quibus inimici nos afficere voluerunt, & nunquam de iis conqveri, nulla enim nobilior vindicta est, quam contemnere injurias & benefacere. Occulta consilia tua. Simula, te aliud quid agere, aut, si hoc non potes, dissimula quod agis. Si plures senties inimicos, quosdam ex iis allicies, divide & impera. Prudens homo utitur opibus & potentia ad benefaciendum aliis tam stultis, quam sapere incipientibus. Non autem commode in usum deduci possunt.

præ-

De Fraudibus inimicorum evitandis.

præcepta de parandis sibi amicis & dividendis inimicis, nisi quis artem cognoscendi homines egregie teneat. Unica autem hæc scientia potest definiri regula. Quo majores progressus in agnitione propriæ stultitiæ feceris, eo magis cognosces stultitiam & prudentiam alienam absque omnibus aliis regulis, & quo minus te ipsum noveris, eo minus tibi poterunt mille regulæ de cognitione aliorum *Conf. Dn. Thomasi integrum cap. 4. Præd. Conf.*

De Cognoscenda hominum natura.

§. LII. Est homo animal sociabile, mansuetum, non ferum, non ad solitudinem creatum. Fundamentum societatum conversatio est, finis conversationis est studium naturæ humanæ, acquisitio nimirum amicorum, & diminutio inimicorum. Centrum sapientiæ & prudentiæ est, nosse se, imo scrutari se, quia nihil magis abditum oculis hominum est, quam stultitia propria. Opus ad hunc finem solitudine, sed non eremiticâ, non monachica, verum tali, quæ, dum quis solus est, dum se ipsum discit, simul se præparat, ut cum majori fructu possit conversationi quotidianæ interesse. Cæterum generales conversandi regulæ heic subnotandæ sunt, In conversatione quotidiana vel superiores, vel inferiores, vel pares deprehenduntur. Erga hos comitate, erga illos humanitate, erga istos veneratione uteris; Sic stum cuique tribues, nec in ipsa civilitate incivilis eris; qualis utrobique civilitas cum hilaritate, sincera comitate, & prudentia condita esse debet. Caveas Tibi à nimia hilaritate & fiducia, quæ familiaritatem gignunt, hæc autem contemptum parit. Qualis fami-

De Prudentia discipuli a Socrate propria in conversatione quotidiana.

De Conversatione cum superioribus, paribus, & inferioribus.

miliaritas plus nocet superioribus quam reliquis, quia fama & existimatio iis magis necessaria quam cæteris, imo venerationem, velut rem inæstimabilem, hac familiaritate perdunt. Præceptum de hilari & sincera comitate ac veneratione apud omnes ingressum nançiscitur, ita enim ignoti tuam prudentiam æstimabunt, æstimatio vero amicitie est initium, amici confirmabuntur, inimici, etsi inimicitiam non deponant, aliquem tamen gradum inimicitie sæpius remittent; At, pusillum etiam lucrari in inimicis, lucrum æstimat prudens. E contrario autem triste supercilium ubiqve exosum, & omni conversationi onerosum est. Cum sexu foeminino non solum, nimia familiaritas cavenda, sed & nimia veneratio; Nam hanc plerumqve sequi solet amor imprudens. Breviter, si vis amari, ama; & amoris signum naturale est vel venerabunda vel humana comitas, nec signum saltem, sed & naturale incitamentum ad amorem mutuum. Neglectus comitatis indicium hominis est, se ipsum solum venerantis & amantis, id quod odium parit. Conversatio quotidiaua & comitas officium humanitatis est, quod stultis etiam debetur. Quare, quo prudentior quis est, eo magis in conversatione indulget aliquid stultis, non quidem, ut fiat stultus, sed tamen ut stultitiam simulet, novit, in tempore insanire, esse maximam sapientiã. Sapiens ideo, quia sapiens est, applicat se ad genium stultorum. Non ridet aliis plorantibus, non plorat aliis ridentibus. Cum ridentibus gaudet, plorantes consolatur. Non autem id volumus, ut sapiens fiat stultus, sed ut in tempore stultitiam simulet, aut certe

*Cum femi-
nis.*

*Cum stul-
tis.*

sapi-

sapientiam suam diffimulet. Differunt autem sapiens & callidus, ille sincerus, hic fallax est, ille non solum apertus, sed & natura ad sinceritatem pronus est, & simulatione ac diffimulatione saltem utitur ob imbecillitatem insipientum, sive ut eos amicos & sapientes faciat, sive ut eorum vim & insidias evadat. At callidus regulariter occultus est, & à natura etiam eo inclinatur, sinceritatem vero simulat, & affectat ad decipiendos insipientes, & eorum damnū procurandum. In conversationibus quotidianis ea circumspicione utendum, ut & breves sint & non frequentes, sive convenias sive conveniaris, potissimum cum superioribus aut inferioribus, cum insipientibus, cum sexu foeminino. Diurnitas partim familiaritatem parit, partim rusticitatis aut negligentiae nimiae, aut stultae arrogantiae indicium est. Attende, ne quē intempestive convenias, nec in loco, ubi indecorum est quem convenire. In conversatione quotidiana nihil agendum, quod natura sua aptum est, ut alicui, qui praesens est, displicere possit, atque hoc eleganter monet *Job. Casa*, ubi inquit, nihil esse committendum, quod intellectui vel sensibus aliorum non congruat. Nam talia nec amicos parant, nec inimicos diminuunt. Ut verba in conversatione quotidiana rite attemperentur, vir prudens in conversatione quotidiana cum superioribus paucissima loquitur venerationis ergo, cum paribus aequalia, ita tamen, ut non solus loquatur, aut aliis etiam praeripiat occasionem loquendi, cum inferioribus plura, sed non plurima, ut iis videlicet fiduciam faciat.

Quis sapiens? quis callidus?

De Brevisate conversationum.

De Sermonibus in conversatione quotidiana.

N

etiam

etiam loqvendi. Nusquam tamen plane tacet, ne vel explorator esse videatur, aut, ne taciturnitate sua declaret, ipsi conversationem displicere. Simul vero dat operam, ut, quantum fieri potest, alloqvatur omnes, præprimis pares aut inferiores, ne quem contemnere videatur, tacet tamen loqvante altero, & cavet, ne secum loqvntem alterum interrumpat. Dese, vel plane non, vel paucissima loqvitur. Neque semper se extenuat aut imperfectiones suas recenset, insigniter enim stultus habetur, qui propria vitia tacere neqvnt. Sed nec de præsentē facile loqvitur prudens, ne ipsum vel taxando vel laudando irriter. Sed & disputatio cavenda in communi cōversatione, quæ sine contradictione, & quidem continuata, & taxatione alterius esse neqvnt. De absentibus bene, non male, loqvendum. Singulare donum prudentum est, si quis promptus sit & aptus ad somnolentiam in conversatione excutiendam. Sed hic maxime decorum observandum. Si cum superioribus con- verseris, pedanticum foret, doctorem quendam agere velle, præsentibus pluribus. Hilaria quædam verba, sed non indecora, hic magis ad rem facient: Imo & ubi cum paribus sis, nosse debes, an eorum animi sic apti sint & præparati, ut ferre possint discursus utiles, prudentes, pios, aut annon potius hisce irriterentur. Magnum hominis prudentis ornamentum est condire discursus utiles, ne nauseam vel horrorem moveant palato stultorum: si de vitiis loqvendum non parum sermonis acrimoniam mitiget, cum loqvntes se ipsum non eximit, sed & se esse ho-

hominem, ac inclinationes ad stultitiam, quam taxat, quotidie sentire, aliquando etiam succubuisse, faterur. Optimum pariter condimentum veritatis & doctrinæ in conversatione quotidiana sales sunt urbani. Nam ridendo dicere verum quid vetat. Qui omnes jocos pro indecentibus aut scurrilibus venditant, illi vel nesciunt, quod dicunt, vel ideo hoc faciunt, quia toti quanti quanti sunt, sunt homines inficeti & austeri. Id tamen in jocando cavendum, ne iis pungatur quisquam in conversatione quotidiana, etiam si id verbis fiat ambiguis. Debet enim jocus esse innocens. Neque tamen omnis sermo aculeatus damnandus, utendum est eo, ut gladio, non ad offensionem, sed ad defensionem. Quod in verbis, idem in factis tenendum, quia factorum ac verborum eadem ratio, nisi quod ad facta æque, si non magis, prudens respicere soleat, quia quæ verbis quis dissimulat & occultat, per facta produntur, & quia facta sæpe plus operantur in paranda amicitia vel inimicitia, quam verba. Et quemadmodum sermone, ita pariter & factis ac gestibus venerationem, comitatem, humanitatem declarare, & adulationem, cordatis viris inimicam, vitare debemus. Fructus conversationis quotidianæ erit non ut alios multifariis, quas observasti, passionibus inquinatos vilipendas, aut traducas, sed ut ex eorum prudentia exemplum ad æmulationem, ex imprudentia autem aut malitia cautionem sumas, partim ne in similibus pecces, partim ut mediteris in quantum cavere eos debeas, ne irrites, & si inimici sint, in quantum nocere possint. Ita v. gr.

*Quomodo
in factis &
gestibus
conversa-
tio institu-
enda.*

taciturnos, pallidos, qui erga omnes comitatem par-
rem facie & verbis affectant, qui vilibus gestibus
& basiationibus adulantur, magis cavet prudens
quam rubicundos, jactatores, thraiones, importu-
nos, imprudentes. Cavet inquam, non timet, aut
contemnit. Præbet enim conversatio quotidiana
illum usum, ut, quæ nosse tibi conducant, & quæ tamen
occultari solent, insensibiliter cognoscas. Sæpe
verbum, ex incogitantia prolatum, detexit arcana
cordis, quæ mille simulationibus & dissimulationibus
erant occultata. Sæpe verbum cum affectata incog-
itantia, tanquam de re indifferenti dictum, alterius
responsū procuravit, ex quo de arcanis istis judicari
possit. Sæpe simulata cupiditas discendi, aut rei igno-
tæ scientia, aut affectata contradictio eosdem usus
præbuerunt. *Du. Thomas. Prud. Conf. c. 5. per tot.*

*De Pru-
dentia in
conversa-
tione sele-
cta.*

*De Ami-
citiâ.*

§. LIII. Uti quotidiana conversatio cum om-
nibus, ita selecta cum amicis, aut, qui instar amico-
rum sunt, instituitur; Sunt amici qui vires suas
jungunt ad actiones mutuas perficiendas & repel-
lendas inimicorum, inimici sunt, qui tentant impe-
dire actiones aliorum. Quos amamus, eorum præ-
sentiam desideramus, & absentia amoris pariter &
amicitiæ gradum diminuit, si diuturna sit, contra,
si brevis sit, desiderium excitat. Opera danda est, ne
cum stultis, tanquam cum amicis, versemur. Nosci-
tur ex socio &c. nec durabilis talis amicitia propter
stultum amorem sui esse potest, tum etiam, quia ad
veram amicitiam nemo aptus est natus, nisi sapiens. Sed
cum paucissimi sapientes, neque ipsi à conversatione
stul-

stulti prorsus excludendi, ha inter eos vitandi sunt
 stulti summi, i.e. homines injusti, sive aperte tales, sive
 callidi. Seligendi ex reliquis, si haberi possint, ho-
 neste & decore viventes, si non possint, contentus sit
 illis, qui in via decori subsistunt, i.e. qui prouisi sunt ad
 officia humanitatis, etsi non semper vivant honeste,
 & quandoque succumbant, nec firmiter resistent
 primis motibus passionum suarum. Cavendum, ne
 mox amicitia dignos existimemus, qui nostram ami-
 citiam sensibilibus movent. Saepe qui corda omnium
 in prima conversatione attrahunt, vix conservant in
 tertia aut quarta. Saepe homines, qui in aliquot con-
 versationibus nobis videbantur indifferentes, quoti-
 die nostro favore magis magisque redduntur digni.
 Unde in hoc selectu aliquatenus cunctandum, pra-
 primis, cum quotidiana conversatio interim possit
 sufficere ad cognoscendas magis magisque personas
 seligendas. Ut ut quidem parium amicitia firmis-
 ma, non tamen excludendi sunt superiores & infe-
 riores. Nemo tam potens est, qui non inferiorum
 ope indigeat, imo non esset potens, si non sint unitae
 voluntates inferiorum cum voluntate ipsius. Ut haec
 unio firma sit, amicitia est opus; Et intuitu inimico-
 rum saltem valet istud, oderint dum metuant, imo
 superiores magis opus habent amicitia inferiorum,
 quam hi, si forte sua contenti sint, illorum, qui pauca
 agit, paucioribus indiget subsidiis, quam is, qui
 multa agit. Quin prudens homo persuadere sibi
 facile potest, quod multos amicos habere nequeat, &
 quod ipsi multitudine amicorum non sit opus, sed
 suf-

*De Amici-
 tia poten-
 tiorum.*

sufficiat, si modo non habeat multos inimicos, sive sit potens, sive sibi vivat. Qvi multos amicos habet, nullos habet, qvi unum, multos. Imo magis circumspēcti debent esse potentes in seligendis amicis, qvam reliqvi, qvia inimici, propter timorem amicitiam simulantes, frequentissime solent iis insidiari, vel ut ad stultitiam seducant, vel ut occasionem nocendi qværant. Potens si se ipsum cognoscit, occultos amicos, sub larva amicorum latentes, facile cognoscet. Callidi adultores nemini adulantur nisi qvi amat adulationes; At qvi hos amat, odit eos, qvi veritatē dicunt. Vult, ut nemo ipsi contradicat, ut omnia nutui ejus pareant; ita verò impossibile est, ut amicos inveniatur, aut, si invenerit, ut conservet. Potentes potentia suâ & divitiis multos sibi amicos parare, multos simul adultores fugare possunt. Subtrahant adulatoribus pabulum, dispārebunt. Attrahant amicos beneficiis, habebunt, si vis amari ama. Is verò incipere debet, qvi aliorum subsidio magis habet opus, invidia non virtutis, sed potentiæ, gloriæ, divitiarum comes est. Hæ si non comitentur, virtus laudatur & alget. Minus potens, si sit vere prudens, multos potentes inveniet, qvi ipso opus habent, & qvi adeo, etsi non sint veri amici, tamen vel propter proprium interesse impelluntur, ut ipsius indigentia succurrant. Debet minus potens se prorsus necessarium reddere. Sic versabitur cum potente, sic colet ejus amicitiam, ut nunquam putet, eam sibi necessariam esse, ita enim nec adulatione opus habebit, nec mancipium potentis evadet. Sed nec tamen gloriabitur, aut

*De Minus
potente.*

aut saltem indicabit, ac si credat, se esse necessarium potenti. Inter pares & inferiores major conversationis selectæ delectatio. Quis enim averfaretur amicitiam hominis, qui in conversatione quotidiana sincera comitate ac humanitate amicitiam aliorum allicit. Qui absque fuce, quâcunqve data occasione, monstrat, se proum esse, ut omnibus pro viribus beneficiat. Nulla major iucunditas quam conversatio prudentis cum prudente, nec ulla major utilitas, quadrat huc istud Senecæ, cum his versare, qui te meliorem facturi sunt, illos admitte, quos tu potes facere meliores, mutuo ista fiunt, & homines, dum docent, discunt, inimica est multorum conversatio, utiqve quo major est populus, cui commiscemur, hoc periculi plus est. Satis unus, satis duo, satis nullus. Imo cum prudens vir, quam prudens etiam sit, homo tamen sit, non pro vitio ipsi vertendum, si cum quibusdam solius iucunditatis causa amicitiam colat, quia scilicet ad aliud nihil sunt apti, sed iucunditates istiusmodi, quæ regulis honesti, iusti, decori non repugnant, licitæ sunt. Vita prudentis & ejus mores instar doctrinæ mutæ sunt, à qua etiam illi discere poterunt, cum quibus amicitiam utilem & iucundam colit. Uti ipse sapiens operam dat, ut sit hilaris in omni sua vita, tædiorum plena, ita & studet, ut in aliis, cum quibus conversatur, exciter affectum, qui mediam viam teneat inter affectatam austeritatem & exultantem lætitiâ. Quo major amicitia, eo major fiducia, & eo minor prudentia requiritur, cum decorum ex natura sua necessario remittere debeat

*De Conversa-
tione pa-
riam.*

*De Hilarit-
tate.*

*De Fiducia
& familia-
ritate.*

in-

inter amicos propter unionem animorum. Prudens tamen illud tritum cogitabit, fide, sed cui, vide, fidi, sed non nimis fidi, ne nocere possit is, quem jam pro amico habet, si inimicus deveniat. Interim tamen prudens regulariter majorem familiaritatem fiducia usurpabit erga amicos, quam impudentiæ, cum illa natura sua apta sit ad amicitiam firmandam, hæc ad pariendum contemptum & amicitiam rumpendā. Multum tamen hic valent mores populi, conventio sociorum, status conversantium. Valde cavendum, ne cum superiore nimis familiaris sis; postulat hoc inæqualitas conversationis, ita enim degeneraret societas inæqualis in æqualem. *De Joco.* A joco & aculeis, uti prudens inferior erga superiorem plane abstinet, propter periculum; ita superior maxime cavet, ne joco intempestivo perdat amicum fidelem, cum generosi animi fere talium jocorum, tanquam rei scurrilis, maxime sint impatientes, et si facile contemnunt contumelias inferiorum. In conversatione selecta cum pluribus, amici æqualiter æquali humanitate tractandi, perditur amicus, quando alios sine causa præferri videt: In eo differunt conversatio selecta & quotidiana, quod illa quasi præparatrix, hæc conservatrix amicitiae sit, in illa beneficia, in hac officia humanitatis regnant; Imprudentiæ autem non vulgare indicium est, si quis in quacunque conversatione alteri quid insulurrat in aures, id quod & diffidentiam & suspicionem parit quasi de altero male sermo fiat. *Confer. Dn. Thomae Prud. Conf. c. 6. per tot.*

§. LIV.

§. LIV. Conversatio est ad societatem quasi præparatio, societas vel domestica vel civilis est, illa componunt mas & foemina, nascuntur in eâ liberi, adsciscuntur servi, illa conjugalis, ista paterna, hæc herilis audit; An uxor ducenda? disquirunt, non impedit conjugium studium sapientiæ, habet sua commoda, habet & incommoda matrimonium. Qui uxorem ducit, bene agit, qvi non ducit (si videlicet prudenter sine uxore vivere possit) melius. Sed non properandum. Sera juvenum venus & inexhausta pubertas prudentiores reddit, qvia sapientiores. Anticipata venus impudentes facit, aut callidos, nec corporis solum, sed & mentis vires hebetat. Sed qualis uxor ducenda? Medium tenuere beati. Nec pulchram duces, si extrema times, nec deformem, sed mediam, non divitem, nec pauperem, sed iterum mediam. Non superiorem, nec inferiorem, sed parem, hæc enim media est, & ita de cæteris, quæ medium admittunt: Loco optimæ dotis prudentia habenda, & apud prudentes non difficulter defectum pulchritudinis, aut divitiarum, aut status supplebit. Quod si accesserit formæ suavitas, item personæ dignitas, & opes, hæc bona non inter defectus sponsæ numeranda, ut propterea à conjugio sit abstinendū. In mores conjugis igitur cautissimè inqvirendum. Conversatione opus est non una, sed pluribus, ne vel dissimulatio sive simulatio te decipiat. Mores parentum etiam non negligendi, qvia plerumqve in liberis continuantur. Non tamen nimium sis scrupulosus, qvia filiam, non matrem duces, & qvia à pa-

De Prudentia in suis societatis domestica.

An uxor ducenda & qualis.

*De Imperio
maritali.*

parentibus facilior separatio, quam à conjuge. Suus debetur honor & veneratio sexui foemineo, vicissim tamen uxor marito suo non honorẽ saltem, sed & obsequiũ debet. Si obsequentem, si bene moratam nactus fueris uxorem, operã dabis, ne ipse eam corrumpas. Meminisse debes, te caput familiæ esse, ipsã tamen accersitã esse, ut tecũ familiã dirigat, & sit socia utriusq; fortunæ. Ergò non relinques quidem uxori habenas imperii, sed nec imperabis tamen ut filiã, multo minus ut ancillã. Docuit Cleobulus, cum uxore non agendum esse blanditiis, nec rixandum in præsentia aliorum; istud enim vecordiæ, hoc insanix signum est. Inter prudentes conjuges mariti imperium intuitu uxoris magis in libertate consistit, quam in actu imperandi; Imperio, ut coerceantur, & in ordinem redigantur, opus habent imprudentes. Præferendũ utiqve mariti imperium liberis & servis, si contradicat imperio uxoris, sed raro contradicent sibi prudentes, parebit utiqve uxor marito, etiamsi aliud velit, sed, si prudens est, raro aliud volet quam maritus, aut, si aliud voluerit, monita sponte se corriget. Cumqve in conjugio intima sit amicitia, arcana domestica, non Reipubl., sunt communicanda. Contra uxorem decet, nulla arcana habere, quæ maritus nosse non debeat; Porro consequens est, quod maritus, qui uxorem prudentem habet, non solum in ipsius prudentia fiduciam ponat, consilia ab ea capiendo, sed & quod liberam actionum suarum directionem regulariter ipsi permittat, adeoque fiduciam ponet vir prudens in uxoris officio. Viro acquisitio bo-

bonorū incumbit, & determinatio, qvomodo administrari debeant, conservatio & administratio ipsi uxori; peccant adeo, qvi in minutissimis, ad rem œconomicam pertinentib⁹ ex avaritia & diffidentia ejus administrationem ipsi suscipiunt, ac de omnibus portiunculis carnis vel leguminum, ad cibum destinandis, ipsi sunt solliciti. Debet maritus, cum nihil in rebus humanis perfectum, eādē ratione ferre imbecillitates uxoris, qvā prætendit, ut suas ferat, uxor, aut eas prudenter & absqve coactione temperare. Plus operatur inter prudentes ad accendendum amorem, & amicos in officio retinendos tempestivum frigusculum, id est amoris non cessatio aut diminutio, sed cessantis aut diminuti amoris simulatio, qvam ignis & fervor iracundiæ; Inter stultos ergo amantium ira, inter prudentes frigusculum amoris, redintegratio est. Ergo maximā & humanitate & tolerantia hic est opus; sin vero mores uxoris prorsus intolerabiles fiant, vel uxorem à se, vel se ab uxore separabit, cum nullum remedium magis in ratione recta, & communi totius humani generis fundetur, qvam separatio eorum, qui se tolerare nequeunt. Quod si mores populi talem separationem non admittant, cautelas arripe, qvibus malum si non avertere, saltem minuere, aut, ne gravius fiat, præcavere potes. Habes mulierem imperiosam & rixosam incute timorem, si timida sit, subtrahe beneficia, si avara, sile & verba ejus contemne, si potens & ambitiosa, aut, si aliter non poteris, imitare Socratem. Habes ebriam, sordidam, prodigam, tolera,

De Prudenti directione & conversatione maritici cum uxore.



subtrahe media ebrietatis & prodigalitat̄is, sed quantum fieri potest absque signis inimicit̄iæ. Si aliud remedium non habeas, separate quoad thorum, vel etiam quoad mensam. Mortua est uxor, liberatus es, si fuit immorata; liber, si morata, nam, quam dulce sit conjugium, quanta etiam commoda habeat, habet tamen id incommodi uti omnis amicitia, quod ex regulis decori libertas tua multa vincula habeat, quibus sit alligata, ut alieno gaudio & tristitiæ, vel fortunæ aut infortunio sit admixta. Contra, si solus sis, minus quidem gaudebis, sed & minus dolebis. Si habes liberos & gaudes & eos amas. Sed ne quid nimis: Cave tamen, ne delicate educentur etiam primis temporibus: Neque subtrahenda solum sunt nutrimenta liberis passionum vitiosarum, sed & ebullitiones eorum reprimendæ. Quo citius, eo felicius. Possunt primis mensis adfue fieri liberi, ut sola voce terreri possint: Vapulare debent liberi, quia non habent usum rationis, ita enim & bestiarum coercentur. Cum usus rationis se exerit, verbera remittenda, prout nempe emendatio voluntatis ostendit, quousque in classe hominum, quibus sermo & ad emendationem datus est, sint collocandi. Si rationem audire incipiunt liberi, in educatione nec semper laude utendum, nec semper vituperio, illud ambiciosos, hoc morosos reddit. Vera humilitas uti non abstinet à laudatis, sed ea cupide facit, etsi non propter laudem, ita etiã laude non est privanda, ne suffocetur. Contra, si semper laudare velles liberos, & nunquam vituperare vituperanda, haud dubio eos perderes, & segnes redderes

De Educatione liberorum.

deres blanda ista tua indulgentia, aliter laude & vituperio utendum erga honoris cupidos, aliter erga invidios, aliter erga fegnes. An exteris educatio committenda? dubium, si exteri illi non sint vere sapientes, annon & ipsi aduabuntur, aut, si id nō sint facturi, annon continuo vituperio & sævitia perdēt liberos? si liberi tecum sint, poteris emendare nævum commissum, si in electione ephorum & præceptorum sis deceptus. Adsuæscendi in tempore quidem pueri, ut puerilibus paulatim desuæscant, sed tamen indulgendum aliquid pueritiei. Nam pueri puerilia tractant. Non minor imprudentia est, velle, ut adsuæscantur pueri moribus virorum, aut plane senum: Eò in tempore puerorum actiones dirigendæ sunt, ut decoro silentio absuæscant veneratōni, superioribus debitæ, neque erga pares loquantur quicquid in buccam venit. Sed tamen non instrui debent, ut plane obtumescant, loqui discant, quæ pro rerum circumstantiis & negotiorum varietate sunt loquenda; ut cum fiducia loqui, & animi sui sensa aperire discant; loquendum etiam est, ut inspector mores ipsorum & profectus iudicii pariter quoad intellectum ac voluntatem in viâ virtutis noscat. Loquendum de rebus utilibus, nihil autem utilius est humano generi, quam iudicare de actionibus humanis; ergo plurimum loquendum de factis hominum, eorumque examine, sed secundū regulas prudentiæ, & cum ipsi pueri has ignorent, necesse erit, ut director morum eas calleat; Initium sapientiæ est timor Domini, non servilis, sed filialis. Initium sapientiæ est



est religio, non cerebrina & labialis, sed cordata & erga Deum humillime venerabunda. Age, & experimenta spei, de liberis factæ, tenta. Fac, ut agant, & certum vitæ genus eligant, hortare eos ad optima, ostende affectu paterno stultitias inclinationum, sed non facile coge, ut secundum tuum consilium agant. Quo citius enim agere incipient, eò citius possunt stultitias suas emendare, si male egerint. Non coges eqvidem liberos ad nuptias, secundum tuam inclinationem ineundas, sed nec permittes tamen etiam, ut secundum suas cupidines stultas nuptias contrahant. Vitæ genus stulte electum mutari potest, sed uxores ita mutare, vel maritos, in nostro haud est arbitrio.

De Prudentia in societate civili.

De Vitando otio.

§. LV. Homo prudens in societate civili degens; ubi vel ratione divitiarum, vel intuitu honorum, vel respectu delectationum consideratur, ratione prioris ante omnia otium vitare & eliminare debet, quia hoc non solum paupertatis, sed & nequitiae, & scelerum mater est; Otia dant vitia, otium pulvinar Satanæ. Indeque cavenda mendicitas, quæ frequens est, ubi multi sunt otiosi; pudet animum generosum & prudentem, cum possit laborare, stiper orare. Est indicium hominis ignavi, mendicitatem excusantis, quod non possit laborem invenire. Cavenda est larvata sapientia, paupertatem commendans tanquam medium perveniendi ad summam sapientiam, cum pauperes ejusmodi possideant maximas divitias, esurientibus sæpe illis, qui pro non pauperibus habentur; sed & laborandum

dum etiam si opibus, per integram vitam sufficientibus, abundes. Sunt enim variis casibus obnoxia. Hinc labori in tempore adsuendum, ut, cum labor fiat necessarius, non sit difficilis, aut impossibilis. Non tamen labor solus medium est divitias acquirendi, sed & industria requiritur, labor actio corporis, industria animi est, industria sine labore in fraudes, dolos, furta, & latrocinia degenerat: Labor sine industria i. e. labor asinus non divitias, sed carduos acquirat, in summa videlicet paupertate relinquens ejusmodi laboriosos. Illa sagacitatem & gnavitatem praequirat, & est prudens & expedita consideratio omnium circumstantiarum, quae honeste faciunt ad acquisitionem bonorum. Sequentes autem cautelae hic erunt necessariae. Cave, ne suscipias negotium, cujus naturam non intelligis. Si enim nescias, titubabis in toto negotio, & ignorabis, quid in contractu sit promittendum, quid per pacta addendum, quanam clausula sit necessaria, quanam utilis, quanam abundans. Debes etiam esse gnarus & conditionis tuae, & ejus, cum quo tibi negotium est. Si non intelligis naturam mediorum, ad rem acquirendam facientium, consulendi sunt periti, sed impartiales. Ergo non emes saltem quod necesse est, sed etiam, quod est opus: Si non vis decipi ab aliis, ipse dabis operam, ne alios decipias. Homo bonae fidei raro decipitur, quia homines, etiam improbi, non ita stimulantur ad eum decipiendum, & si decipiatur, parum nocet. At homo malae fidei irritat omnes, etiam ad fraudem alias

*De Laboribus
& industria.*

alias non proclives, ut eum vel decipere studeant, vel, si id fiat, non ægre ferant. Cave abundantes nimis divitias. Abundantia bonorum negligentius custodiri potest, occasionem dat furibus, indicioque est, quod non sis deditus beneficentiæ, sed tenacitati. Etiam tenacitas irritat alios, alias non proclives ad damnum dandum tenacibus, vel eos decipiendos. Sis hospitalis & liberalis. Abstine à contractibus & aliis similibus negotiis cum hominibus ignotis, peregrinis, pauperibus, multo magis cum iis, qui sunt notorie malæ fidei, Si cum viris notoriè bonæ fidei & honestis agas, cave, ne cautelas nimias & stringentes ab ipsis postules, sic enim fiduciam tolles. Imo cautelæ, contractibus aliisque negotiis cum nimia diligentia appositæ, sæpe occasionem suppeditant aliis, suspicandi, quasi negotium ex parte præscribentis non bona fide, sed fraudulenter actum sit. Quod si natura negotii aut conditiones requirant, ut alter alteri fidem habeat, juvabit cautio datis pignoribus vel fidejussoribus. Sæpe prudenti plus cautio in persona, quam in re, si persona sit bonæ fidei, tum enim nullum periculum in re, nullam omissionem diligentiam timere debet. Prudens magis in fidejussore respicit voluntatem solvendi, quam bonorum qualitatem. Quod si pignora recipiat negotium, securius est, habere rem, quam per actionem hypothecariam ejus possessionem tædioso processu petere. Ast ubi justitiæ administratio istis tædiis non laborat, forte melius esset hypotheca uti in securitatem, quam pignore, propter peri-



periculum, si pignus perditum fuerit, vel damnum in eo datum. Si fidem fallat, cum quo negotium gessisti, tentandum est ante omnia, an absque strepitu iudicii tuum consequi possis. Quod si res sit controversa, & uterque prudens sit, consultius est boni viri arbitrato uti, quam rem illorum iudicio submittere, qui lucrum capiunt ex protractione iustitiæ. Arbitrator vero prudens cavebit, ne arbitrium suscipiat inter amicos, quia tum periculum certum subit, unum perdendi ex illis, si non utrumque. Prudentes sunt, qui transigunt, etsi perdant. Felicius est quies celeriter acquisita per transactionem macram, quam pinguis sententia multo tædio ac impensis emta. *Besser etn mageret Vergleth/ als etn fetter Process:* Quod si tamen litigandum sit, cautela cautelarum est parare sibi favorem iudicis. Nam plus valet favor in iudice, quam lex in Codice. Divitiæ non propter se, sed propter usum, quem præstant, appeti debent, usus est, ut divitiis amicos paremus, inimicos placeamus. Igitur magna prudentia est pecuniam in loco negligere. Neque semper mera liberalitate aut donis opus. Vera liberalitas & veræ eleemosynæ sunt, benefacere concivibus, ad laborandum idoneis, vel laborantibus, quibus est res angusta domi, etsi laborent. At iis dare, qui laborare noluunt, aut quorum labor damno est Reipublicæ, non prudentis est, sed stultos in sua stultitia confirmantis. Si velis amicos facere largitione bonorum, cave, ne publicè id facias. Prudens, qui beneficia dat dextra manu, operam dat, ut sinistra magis ignoret, quam sciat,

P tan-

*De Use di-
vitiarum.*

tantum abest, ut divulget. Non est beneficium, quod venditur; Venditur autem, quod publice datur, & gratitudinis adeo debitum amittit. Cave, ne liberalitate inimicos tibi parias. Si superioribus & potentibus donas, sæpe suspicionem apud eos excitabis, & desiderium plura à te habendi, quam dare possis. Potentiorum est benefacere aliis, inferiorum, beneficia ab his accipere, & promittuntur serviendi ea demereri. Cave etiam, ne dona des iis, quia ea sine læsione famæ acceptare nequeunt. Tu vero cavebis, si prudens esse velis, ne donationibus utaris tanquam optimo acquirendi modo. Vilis animi & proditorii est à quibuscumque dona accipere, sordidi & plane amicitiae ullius indigni, ab omnibus dona quocumque modo, sive per se, sive per alios, sive directo, sive per ambages accepisse. Dona tamen amicorum, & quæ leviora, non recusanda, metuendum enim erat, ne donans rejectionem tanquam contemptum sit interpretaturus. Quod honorem attinet, ante omnia prudens vanos honores à veris secernit, non affectando laudes vulgi & insipientum, etiam si famigeratis simorum, & laudatorum, sed eorum, qui ob virtutem & sapientiam veram laudantur, quorum laudem mereri studet; Mereri autem nequit, nisi & ipse sapienter vivat. Sapientiae comes individuus est bona fama. Hac contentus vivit, nec honores venatur, sed tamen honores oblatos, si iis par sit, non respuit, sed tanquam occasione iis utitur pluribus & benefaciendi, & amicos acquirendi, & inimicis honeste & innocenter resistendi. Cavet ne per saltus ad

De Honoris.

ad honores adspiret, sed per gradus, & pedem aliquando figit, nec perpetuo plus ultra tendendum sibi esse opinatur. Prudens vel maxime evitat, ne cumulo officiorum obruatur, quibus administrandis humeri ejus sunt impares, ita enim invidiam si bene, & ludibrium aliorum, si male egerit, provocat. Divinitatis est ubique esse. Qui ubique vult esse, nusquam est. De superioribus suis semper bene loquitur, eorum defectus dissimulat, aut patienter fert, inferiores exemplo suo ad virtutem & honores stimulat, pares adjuvat, & in mediis laboribus & honoribus animum pariter & corpus refocillat, ac, ut hilaritatem suam mens nequaquam perdat, dat operam. Hilaritatem sobriam commendamus, non gaudia exultantia ebriorum, aut se inebrietantium. Prudens non solum cavet, ne in quantitate cibi & potus peccet, & ita se ipsum ineptum reddat ad actiones prudentes, aut acceleratione morborum ipse cursum earum impediatur, sed & ne in qualitate, nec semper pane & aqua, nec semper vino & carnibus utitur, sed, quantum ipsius temperamentum naturale ferre potest, advescit, ut ipsi indifferens sit, an aqua an vinum sit bibendum, an parum, an etiam rarius multum; an cibo vescendum facilis, an durioris concoctionis. Varietas & delectat & prodest, non tamen nimia, nec simultanea, nec quotidiana, irritatur gula varietate ciborum ac potus. Stomacho ad sanitatem unum cibi genus sufficit. Duo vel tria jam abunde sufficiunt ad hilaritatem. Reliqua plus nocent, quam prosunt. Quoad venerem vir prudens cavet, ne nimis anticipata

De Delectationibus,

pata venere ejusque frequenti usu vires animi & corporis debilitet, neve turpitudine scortationum, contemptum & infamiam sibi attrahat, & ita amicos suos perdat, inimicis autem occasionem nocendi suppeditet. Et, si ad conjugium aptus sit, ex iisdem rationibus uxorem ducit, non ut, sed ne scortetur. Fœmineum sexum non fugit, & quamvis non multum fiduciæ in ejus amicitia ponat, tamen & in eo honestum delectationis gen⁹ quærit, quod non male apud eum audiat, & quod moribus suis innocentibus sequiori sexui non dederit occasionem, ut ejus conversationem ferre non possit. Denique tota sapientis vita est meditatio mortis, quæ non in speculando, sed in agendo consistit, ostendit quotidie prudens actionibus suis, quod ad mortem se præparet, & ad eam, vita optime instituta, sit præparatus. Mors ultima rerum linea, vivimus ut moriamur, morimur ut vivamus. *Conf. Dn. Thomaf. c. 8. de Prudent. in Societ. Civ.*

De Mortis.

*De Prudentia a-
lios & aliis
consulendi.*

§. LVI. Restat, ut, quomodo & alios, & aliis consulere valeamus, jam perspiciamus; scilicet expetenda sunt omnibus consilia prudentum, nec quisquam tam prudens est, qui se ab indigentia consiliorum possit eximere. Sed neque tamen semper, neque nunquam. Qui nunquam alios consulit, vel nimie sapientiæ opinione infatuatus est, vel nimia diffidentia laborat. Qui semper, æque dat palpabilia imprudentiæ signa. Consulendi sunt non solum prudentes, sed & periti negotiorum & impartiales. Hi, ut velint bonum consilium dare, illi ut possint: peritos ab imperitiis fa-

facile secernere potero, si ipse sim peritus negotii, quod si non sim, cavendum est, ne in seligendo perito decipiar per applausum & iudicium vulgi. Non petenda consilia de negotiis peractis, nec de rebus meri arbitrii, & ubi consilium dari nequit, nec de rebus, quas petens melius scit, aut facilius scire potest, quam consilium dans, quales tamen consultationes in rebus maximi momenti fiunt quotidie, uti consultationes de felicitate propria, de rebus ad sanitatem conservandam conducentibus, de casibus conscientiarum, de rebus in sensum incurrentibus & presentibus; neque etiam consultationes instituendae de rebus, quas plane non intelligimus, nec de rebus impossibilibus. Res, de qua petitur consilium, narranda cum omnibus suis circumstantiis, quod pariter observandum venit, quamvis vel prudens sis, vel consiliū quæras de regula prudentiæ. Nam oculi plus vident, quam oculus. Et sæpe etiam prudentes occæcat imbecillitas humanæ naturæ, ut videnda non videant, & observanda non observent, nisi postquam amicus ea ipsis monstraverit. Datum consilium expendendum & dijudicandum est, utrum partialitatem forte sapiat, & imprudentiam, aut incogitantiam consilium dantis, cavendum tamen est, ne cæca obedientia sequaris consilia etiam amicorum, aut, si præcipitanter lapsus fuisti, præcipitantiam agnoscere nolis. Qui vero aliis consulunt, ante omnia ipsi semet examinare debent, an capaces sint ad consilia danda, an ipsi opus habeant, ut alii illis consulant. Neque tamen nimis sibi diffidere debent. Non sit
 pru-

prudens difficilis in consiliis dandis. Nam & ipse opus habet quotidie aliorum consiliis. Neque tamen nimis facilis. Maxime autem cavebit, ne consilia sua facile offerat, multo minus obtrudat. Attendenda natura consultantium eorumque vires, capacitates, temperamentum. Non danda consilia de rebus, quas ignoras, nec de actionibus turpibus futuris, & impossibilibus petenti. Danda consilia sincere, ita, ut respicias utilitatem petentis, neque tamen id in damnum tuum vergat. Si ipse ex consilio utilitatem capis, id non dissimulandum, sed sincere exponendum, perspicue reddenda sunt consilia, & ne res magis fiat dubia. Si non amico animo consilium petatur, sed ut consulens illudat consultatori, aut ei eventum imputet, res ipsius arbitrio relinquenda. Inquirendum in circumstantias necessarias, sic tamen, ut arcana aliorum non captentur. Consilia data occultanda, & non facile danda in scriptis, vox audita perit, litera scripta manet, & infidiis aliorum est obnoxia. Qui dedit consilium, ferat auxilium, si forte in consilio dando omiserit circumspicere attendere vires ejus, qui consilium petiit. Nec consulens nec consultator nimium sint scrupulosi; nimia & varians consultatio tam activa quam passiva magis dubium & incertum reddit, quam erudit. Felix, qui aliorum consilia libenter audit.

*De Consiliis
Rempubl.
concernen-
sibus.*

§. LVII. Gravior est de consiliis, Rempubl. afficientibus, ejusque conservationem & incrementa promoventibus, disquisitionis. Recte ait *Aristoteles in*

præ-

præfat. ad Alexandr. Consilio in Republ. nihil est prius, & *Tacit. lib. 13. ann.* Aliter, inquit, eventus docuit, ubiqve in summa fortuna plura auspiciis & consiliis, quam telis manibusqve geri. Pariter ut vis destituta consiliis mole sua perit. Hinc *Sallust. ad Casarem.* Ego in omni vita multa audiendo & legendo ita comperi, omnia regna, civitates, rationes; usqve eo prosperum Imperium habuisse, dum apud eas vera consilia valuérunt, ubicunqve gratia, timor, voluptas eas corrumpere, post paulo imminutæ opes, deinde ademptum Imperium, postremo servitus imposita est. Denotat proprie consilium collationem inter plures de particularibus contingentibus. Et cum sancta justitiæ administratio basis, fons, fundamentumqve sit, citra quod Respubl. ejusqve structura conservari neqvit, facile apparet, justitiam esse nullam, nisi eo omnia referantur consilia, ut non illorum tantū qui imperant, sed totius quoqve Reipubl. & singulorum utilitas spectetur, & procuretur. Uti enim gubernatori cursus secundus, medico salus, imperatori victoria, sic moderatori Reipubl. beata civium vita proposita esse debet, ut opibus firma, copiis locuples, gloria ampla, virtute honesta sit. Suscipiuntur potissimum consilia de bello & pace. Nam circa bellum & pacem totius Reipubl. cardo versatur. Nunquam suscipiatur bellum citra necessitatem h. e. nisi jus ipsum, ratio stat⁹ seu utilitas Reipubl. jubeant. Hinc *Cicero* ait fugiendum est bellū, ne offeram⁹ nos periculis sine causa: & *Marcianus*: Arma non induamus, dum in pace esse possumus. Bellorum sortes sunt

*Consilia
circa bellum.*

va-

varia. Malus autem plerumque manere eos solet
 exitus, qui quietis saturi bellum temere suscipiunt.
 Certamen incipere cuiusvis, etiam ignavo, licet: depo-
 nere vero arma tum saltem possumus, cum victores
 velint. *Salust. de bell. Jugurth.* Et multi, dum alienum
 affectant exitium, proprium experiuntur occasum.
Sax. hist. Dan. lib. 4. Infelix quoque praelium auto-
 ritatem principis imminuit, praeterea aërarium mul-
 tis & magnis sumptibus bellico tempore exhauritur.
 Necessarium vero est bellum, ubi vindicanda est in-
 juria. Fœdus inire, ardua & interdum periculosa
 res est, praesertim si cum potentioribus in perpetuum
 ineatur, qui imperium in reliquos fœderatos sensim
 sibi usurpare & solent & possunt. An civis ejiciendus
 sit, exacta requiritur deliberatio, cum saepe a talis
 civis infortunio pendeat societatis infortunium, cum-
 primis si multi ipsius faveant partibus, hanc necem
 vel injuriam, si potentes sint, vindicaturi. Circa ad-
 ministrationem pecuniae publicae prudenter consul-
 tandum, ut modus rationum, quotannis reddenda-
 rum, probe constituatur, ne illi, qui pecuniam tra-
 ctant, habeant potestatem compilandi aërarium, &
 communes nummos in privatos usus redigendi.
 Cavendum igitur, ne vel avarae, vel etiam pauperi
 committatur administratio aëarii publici. Ad faci-
 liorem commerciorum usum tria sunt attendenda.
 1. Quænam liceat exportare, vel non. 2. Quænam li-
 ceat importare vel non. 3. Quæ faciant ad mercium
 advehendarum commoditatem & securitatem. Ex-
 portantur quibus abundat civitas, importantur,
 qui-

Fœdera.

*De Ejectio-
ne Civis po-
tentioris.*

*De Ratio-
nibus red-
dendis.*

*De Com-
merciorum.*

quibus eget, ea vero, quæ luxum & pauperiem videntur inducere, non sunt admittenda. Viæ debent esse expeditæ, & a latronibus tutæ, fluvii navigabiles. In primis vero usus mercaturæ sit honestus cum tolerabili lucro, ne alii defraudentur, sed æquæ rerum cum nummis fiat permutatio. Regionis custodia obtinetur consultando de numero & qualitate militum, de locis muniendis, & de modo ac ratione muniendi. Qui de parandis pecuniis deliberare vult, nosse debet 1. redditus civitatis, 2. impensas & sumtus ejusdem. Nihil autem tam validè ad moderandam & stabilendam Rempubl., nec non ad civium semper ad superstitionem mobiles animos permovendos valet, quam religio. *Tac. ann. 1.* Tota ejus vis, Clericorumque potestas in hortando, monendo, docendo, objurgando, non cogendo consistit, uti alibi hoc fusius a nobis demonstratum. De consiliariis eorumque officiis *conf. Dn. de Unversäbrt Pæd. Jur. Univ. c. 5. §. 31. sequ. & tr. nost. de Jurispr. Illustr. §. 21. seqq.* Ad habilitatem consiliiarii requiritur bonitas ac firmitas animi, judicium firmum solidumque, vera prudentiæ scaturigo, non contemnenda literarum notitia, cognitio generalis historiæ, omniumque in orbe statuum, illius præsertim, ubi subsistimus.

§. LVIII. Superest, ut modum methodumque docendæ discendæque Jurisprudentiæ paucis subjungamus. Et, quamvis quidem hoc ipsum thema pro instruendis saltem juventutis Academicæ studiis peculiari tetigimus instituto, sicut etiam hanc spartam exornarunt præstantissimi quidam Jcti, juvabit tamen in supplementum laboris pristini hæc quodammodo illustrare ex *Illustris Celeberrimique Leibnitii* novâ methodo discendæ docendæque Jurisprudentiæ, quæ superiori seculo

*De Studiis
in genere,*

anno



anno 68. prodit. Studiorum ratio est species quædam *rationis* *status*, id est modus perveniendi ad statum actionum perfectarum. Status autem iste dicitur *habitus*, quem definitio: agendi promptitudinem acquisitam, permanentem. Scilicet, habitus est certa qualitas crebris actibus quæsitæ, quæ potentia quædam naturalis ad operandum expedita redditur, dicitur *cine* *Fers* *figleit*. *Subiectum* habitus est quicquid actionis capax est, adeoque & bruta & infantes. *Causa vel modus* acquirere habitum est vel *supernaturalis* infusio, vel *naturalis* assuefactio, quæ in sentientibus, quæ talia sunt, dicitur doctrina. Infusio est vel *divina* vel *diabolica*. Divinæ habemus exempla in dono linguarum apostolico. Diabolicæ, in mancipia sua. *Assuefactio* fit per actionis imprimenis quantitatem. *Quantitas* autem est vel *extensiva* vel *intensiva*. *Extensiva* consistit in actionum multitudine. *Intensiva* in magnitudine, seu ad habitum imprimendum fortitudine. *Multitudinis* seu crebritatis in agendo efficacia confirmatur vulgari illo, adde parum parvo, magnum cumulabis acervum. *Habitus permanentia* ex crebra repetitione nascitur, magnitudinem quod concernit, sæpe una actio, singulari quadam imprimendi vi facta, plus efficit multis repetitionibus v. gr. facti alicujus singularis, joci inexpectati. Consultissimum autem est, multitudine magnitudinemque temperare, quod fit egregie, si, à minimis incipiendo continue pergendo ad summa, crescat actio. Assuefactionem excipit *doctrina*. *Docere* est habitum efficere in sentiente, quæ tale est, seu per sensum, unde tota hæc ars dicitur *didactica*, nam & qui sponte discunt se docent, hinc iis *αυτοδιδάκτων* nomen. Doceatur 1. solide, 2. cito, 3. jucunde. Ex quibus primum facit ad esse, reliqua ad bene esse, primum ad ipsum habitum, reliqua ad modum commode introducendi. Primum autem dico continet, tum ut *vera* doceantur, tum etiam, ut *firmiter* implantentur, ne cito elabuntur. *Habitus* hominibus proprii sunt vel *memoria*, vel *inventionis*, vel *judicii*, unde & didactica istorum habituum tri-

triplex *mnemonica*, *Topica*, *Analytica*. Possumus enim propositiones, (quippe quæ soli homini propriæ sunt,) memorare, facere, judicare. *Topica* autè & *Analytica* unà logicæ nomine comprehenduntur. *Mnemonica* præstat materiam, *Methodologia* formam, *Logica* applicationem materiæ ad formam, *Mnemonica* fundamentum est res aliqua sensibilis, quæ dicitur nota, cum re memorandâ certa relatione juncta, quæ est vel *comparatio*: Similitudo nempe & dissimilitudo, vel *connexio*, qualis est totius & partis, partis & compartis, causæ & effectus, signi & signati. Unde verba sunt inventa, alioquî fuisset hominibus difficillimum rerum meminisse. Verba enim non tantum signa sunt cogitationis meæ præsentis ad alios, sed & notæ cogitationis meæ præteritæ ad me ipsum. Ex notis illæ maxime *mnemonica* sunt, quæ sensibilissimæ. Non tantum autem notæ auditus, sed & multo magis notæ visus ad memoriam pertinent. Huc pertinent *Hieroglyphica* veterum Ægyptiorum & hodiernorum Sinensium. *Topica*, seu artis inventivæ fundamentum sunt loci, id est relationes transcendentes, ut totum, causa, materia, simile. Et ex rebus, tali aliqua relatione nexis, fiunt propositiones per artem combinatoriam. *Analytica* seu ars judicandi, duabus nititur regulis, ut nulla vox admittatur nisi explicata. 2. Ut nulla propositio, nisi probata, *Methodologia* seu ars disponendi versatur circa methodum. *Methodus* autem est vel *naturalis*, cujus hæc est regula, quicquid sine altero cognosci potest, non verò alterum sine ipso, illud alteri præponi debet, vel *occasionalis*, cujus nulla generalis regula tradi potest, sed variat infinitis modis. Sequitur habitus *objectum* seu ipsa actio, cujus est habitus, cujus ratione habitus est vel vel corporis vel animi. *Habitus corporis* vel sunt circa actionem relinquentem *ἀποτίλαμα*, vel sunt facti transeuntis. *Artes opus reliquentes*, vel naturam promovent, applicando agens vel patiens, & deinde cessando, uti agricultura, horticultura, ars pastoritia &c. vel suum solæ peragunt, totumque opus exequuntur,

ut omnes illæ, quæ res tam diu jungunt, separant, vel transformant, donec prodeat certa ipsis optata figura. In *consumptione* consistit v. gr. ars pictoria, in *separatione* statuaria, in *transformatione* omnes, quæ rebus primum liquidis, deinde consistentibus certam formam imprimunt, ut metalli vel vitrifusoria, ut infinitas pro objectorum varietate ex his actibus mixtas taceamus. Artes *facti transeuntis*, seu opus non relinquentes, dicuntur exercitia, & consistunt vel in promotione alterius, vel simpliciter in motione mei. Motio simpliciter est vel totius corporis, vel partis certæ tantum, ut in oculis ars fendi cum velis, in lingua ars eleganter loquendi. Habitus animi nunc sequuntur. Omnis autem actio animi est *cogitatio*, nam & velle nihil aliud est, quam cogitare rei bonitatem. Omnis porro cogitatio est alicujus propositionis. Meri enim termini simplices tantum apud bruta reperiuntur, hominis imaginatio nunquam est sine aliqua reflexione. Propositio omnis est vel *singularis*, hinc *historia*, quæ est mater observationum, de qua multa præclara refert *Fr. Baconus de Verulam. in tr. de augmentis scient.* Termini simplices sunt, qui sunt indeclarabiles per terminos notiores, quia immediate sensui obijciuntur, ipsæ nempe qualitates sensibiles. Quicquid est sensibile est *ens*. Quoties enim probare volumus, aliquid esse, probamus ex eo, quia nos vel alii senserint, aut ipsummet sensatione immediata, aut saltem aliud, quod sine ipso esse non potest, quæ est sensio mediata. Ex qualitates simul sumtæ (seu imaginabilitas) constituunt *essentiam sensibiles* existentiam, ex cogitatione autem plurium entium simul, oriuntur *relationes*, seu affectiones entis. Nam ex coimaginabilitate seu essentia oritur *comparatio*, huc idem, diversum, simile, dissimile, contrarium, *genus, species, universale, singulare*. Ex consensibilitate seu consistencia oritur *connectio*, huc totum, pars, ordo, unum, plura, necessarium, contingens, connexum, causa &c. Hinc sunt *Mathematica physica* universa. Qualitates porro sensibiles in specie alie

mente tantum percipiuntur, aliæ & *phantasia*, seu mediantibus organis corporis. Mente percipiuntur duæ tantum 1. cogitatio, 2. causalitas. *Cogitatio* est qualitas sensibilis intellectus humani seu nescio cujus rei in nobis, quam animadvertimus cogitare. Etsi, quid sit hoc ipsum cogitare, explicare non magis possimus, quam quid sit albedo, aut quid sit extensio. *Causalitas* est, quando ex effectu per demonstrationem colligitur, esse aliquam ejus causam, etsi latentem. Et hæc qualitas, præcisis aliis qualitativis, v. gr. motu, figura, inest causæ mundi, seu Deo, tum causis mirabilium quorundam factorum in mundo seu angelis, & denique animo nostro, tanquam causæ motus corporis. Qualitates organis corporeis sensibiles, sunt vel communes pluribus organis, nempe numerus ut *Arithmetica*, & extensio, ejusque varii modi (quæ visu solû & tactu percipitur) hinc *Geometria*: quicquid præter extensionem & numerum, aliam adhuc qualitatem sensibilem, habet, id dicitur corpus, quicquid non habet, vacuum, hinc *Physica*. Philosophiam abstractam de qualitativis sequitur concreta de rebus, in quas hæc qualitates coierunt. In qua nihil aliud fit, quam quod historicè rerum qualitates recensentur, & nihil denuo demonstratur, sed subsumtio tantum sit ex prædemonstratis, in Philosophia abstracta. Hic igitur non qualitatum connexio inter se, & cum subjectis, sed subjectorum connexio cum qualitativis recensetur. In *Cosmographia* exponitur subjectorum connexio inter se, quomodo revera in mundo disposita sunt, historia nempe mundi universi, rerumque inde usque a creatione ejus memorabilium.

§. LIX. Postquam ita Vir celeberrimus ipsa scientiarum elementa breviter, & uti plenior ejusdem deductio communis, solide adumbravit, subjungit jam, sed summam, dissecunda, modumque studiorum juridicorum delineat sequentibus verbis. Jurisprudentia est scientia juris proposito aliquo casu seu facto, rectius forte, quomodo jus ferre, interpretari, &

*De Studio
Juridico.*

& applicare valeamus. In methodo tradenda *I*ctum per-
 ctum, & viam ad illam perfectionem grassandi designari ne-
 cesse est. Quicquid ad viri perfecti eruditionem pertinet,
 dividi potest ad instar Theologiæ in partem *didacticam*, ea
 continentem, quæ in libris authenticis expresse extant &
 certi juris sunt, *historicam*, originem, autores, mutationes,
 abrogationesque legum enarrantem. *Exegeticam*, ipsos
 libros authenticos interpretantem, & denique apicem cæte-
 rarum *Polemicam* seu controversiarum, casus in legibus inde-
 cisos ex similitudine definientem. Jurisprudentia didactica
 elementorum nomine non inepte appellatur. *Elementa*
 duobus absolvuntur, explicatione terminorum seu definitio-
 nibus, quibus respondet titulus *de V. S.*, & propositionibus
 seu præceptis, quo pertinet titulus *de R. I. Definitiones*
 seu explicationes terminorum juridicorum peculiari libro
 tradendæ sunt, nullis admixtis præceptis seu regulis, hic
 posset appellari *partitiones juris*. Methodus ejus non sit al-
 phabetica, sed accurata & solida. Mirum enim, quam in
 methodo solida & naturali res rem explicet, & memoria
 juvetur. Quam in rem commodissimæ sunt Tabellæ, qua-
 rum ope licet uno obtutu, primum in generali tabula to-
 tam scientiæ velut Geographicam mappam, deinde vero
 speciatim singulas quasi provincias lustrare. Methodum
 Justiniani tum in Institutionibus, tum in Digestis plerique
 sequuntur, eamque tanquam arcanum quid approbant.
 Verum in hac ipsa methodo crescit labor in duplum, dum
 alia est Institutionum, alia Digestorum Codicisque methodus.
 Institutionum methodus per personas, res, & actiones primâ
 superflua est, actiones enim tam ex jure personarum, quam re-
 rû descendunt, & ipsæ personæ v. gr. servi & filii familias ha-
 bentur pro rebus, datur enim non minus servi, quam equi
 vindicatio. Et in filiis familias etiam est dominium, sed certis
 a Republ. modis restrictum. Et, ut breviter dicam, est hæc
 methodus non ex juris, sed facti visceribus sumpta. Personæ
 enim

*De Metho-
 do Juris
 non satis
 coherente.*

enim & res sunt facti, potestas & obligatio &c. juris. Et, si semel methodum facti eligere voluit, cur non continuavit? cur non subdivisit personas & res ex physicis & ethicis v. gr. personas in surdos, mutos, cæcos, hermaphroditos, perfectos viros, foeminas, impuberes, minores, adultos, divites, pauperes, nobiles, magistratus, rusticos, peregrinos, hæreticos, schismaticos &c. Res, in dividuas, individuas, pretiosas, viles, mobiles, immobiles, se moventes, thesauros, nummos, res fungibiles, quadrupedes, eqvos, feras, & in singulis, quid juris esset, explicuit. Agnovit scilicet hac ratione secuturas infinitas repetitiones, nec posse rem ad universalia redigi. Ita igitur Jurisprudentiæ divisio, a concreto sumta, omnis confusionis principium est, & ad eos potius pertinet, qui vel tractatus, vel indices scribunt, hi' possunt ex variis titulis colligere jura foeminarum, mutorum, surdorum. Neque illa legum methodus hodierno ævo accommodata. Nullibi jura ecclesiastica, nullibi feudalia, nullibi materia concursus creditorum commode inseritur. In Digestis certe & Codice perpetua ordinis causa est veteris juris ratio, quæ tantum ad hodiernam, quantum sus ad Minervam. Sequentem igitur methodum suppeditat vir illustris. Jurisprudentia est scientia actionum, quatenus justæ, vel injustæ dicuntur. Justum & injustum est, quicquid publice utile & damnosum est. Publice, id est primum Deo, deinde generi humano, denique Reipubl. hinc Jurisprudentia Divina, Humana, Civilis. De propriâ autem utilitate dicere, non Jurisprudentiæ, sed politicæ est. Moralitas seu justitia, vel injustitia actionis oritur ex qualitate personæ agentis in ordine ad actionem, ex actionibus præcedentibus orta, & dicitur *qualitas moralis*. Potentia moralis dicitur *jus*, necessitas moralis, *obligatio*. *Subjectum* qualitatis moralis est persona & res, *persona* est substantia rationalis, eaque vel naturalis vel civilis. *Naturalis* Deus (verius Ens perfectissimum) Angelus, homo.

De Methodo Leibniziana.

Sed

Sed Deus est subjectum juris summi in omnia, nullius vero obligationis. *Civitas* est collegium. Res quoque subjectum Juris & Obligationis est, v. gr. Si officio aliquid legetur, jus erit apud omnes successores. In omni vero jure reali res est subjectum obligationis. *Objectum* juris & obligationis est corpus subjecti, res, persona tertii. Jus in corpus meum tanquam subjecti dicitur *libertas*, jus in rem dicitur facultas, & habet species, dominium, servitutem, possessionem, usucapiendi conditionem. Jus in personam dicitur *potestas*, & multis modis variat, interdum vitæ & necis, interdum castigationis, interdum increpationis &c. *Obligatio* est, ne alterius libertas, facultas, potestasque impediatur. Quæ impeditio dicitur *injuria*. Objectum porro juris mei est quicquid mea interest, idque vel ipsummet, vel æquipollens seu æstimatio. Quo etiam pertinent pretia rerum. *Causa* qualitatis moralis est natura & actio. *Natura* est causa libertatis & facultatis & correspondentis in alio obligationis de non impediendo. *Actio* est causa potestatis in persona agente ad aliquid faciendum, vel in se ipsa, aut rebus suis patiendum, estque vel possessio, vel injuria, vel conventio. *Possessio* tribuit jus reale primum in corpus meum, quia hoc ante omnia possideo, hinc libertas, deinde in res alias, quæ sunt nullius, hinc facultas. *Injuria* fons est delictorum & quasi delictorum. Conventio promissiones acceptationesque omnes in se continet. *Quali Contractum* ad jus reale pertinent. Omnes obligationes publicorum judiciorum, sive ad poenam corporalem sive pecuniariam tendant, pertinent ad pactorum fontem; promisit enim quilibet subditus Reipubl., se decreta ejus vel universalialia, ut leges, vel singularia, ut sententias rata habiturum, ad quem locum reducuntur pariter ordinationes politicæ, criminalia, Jus Publicum, processus. Ad modos acquirendi juris refert naturam libertatis nempe, & facultatis in res nullius agendi, successione, testamenta, possessionem, conventionem. Pergit

§. 21. nec omittenda hoc loco, quæ de Jurisprudentiæ Polemicæ inclusione in pomæria Didacticæ magni viri consuluerunt. Si sc. extantiores controversiæ publicâ autoritate decidantur, formeturque novum juris corpus accurate dispositum. Quam in rem Illustrissimi Baconicum in sermonibus fidelibus, tum in augmentis scientiarum præclaræ meditationes extitere. Mihi breviter videtur, tria in novo corpore requirenda, ut scilicet conscriptum sit plene, breviter, ordinate, ita aberit repetitio, obscuritas, contradictio. Progreditur autor in §. 22. ad juris elementa, in quibus definitiones & præcepta includi debent, ubi circa definitiones divisionesque monet, quod curiositates philologicæ, synonymiæ, omitti, æquivocationes vero, sed insignes, & quæ confusio nis principium esse possunt, non quælibet obviæ, colligendi, significationesque familiares eligi debeant. Causæ vero, contrariæ, effectus, objecta, subjecta, non pertinent ad definitiones seu terminorum explicationes, sed ad regulas, seu præcepta. In materia præceptorum ea inseri debent, quæ in legibus extant, & certi minimeque controversi juris sunt, item ea tantum, quæ adhuc in usu versantur, minimeque abrogata sunt. Omittantur item ea omnia, quæ ex ipsa Jura Naturæ & sanæ rationis principiis constant, ut vel rusticus, perceptis terminis, agniturus sit. Omittantur denique, quæ non tam sunt quæstiones juridicæ, quam vel historicæ v. gr. cur Justinianus dicatur Alemannicus, Francicus. Ponantur ea tantum, quæ decidunt, quid, proposita aliquo facto, juris sit, omittantur ergo 1. incerta, 2. abrogata, 3. manifesta, 4. aliena. Forma præceptorum consistit tum in dispositione titularum, tum fabricularum. Titularum dispositio primum ea sit, quæ definitionum, unde non erit incommodum, si præcepta definitionibus aliis saltem typis interferantur. Deinde observetur imprimis, ut, quantum fieri potest, abstrahantur universalia. Sunt enim præcepta primum generalissima, quæ dicuntur Brocardica, & hæc à

R

va

variis materiis, etiam toto genere diversis, abstrahunt. Omnis regula ita comparata esse debet, ut nullam admittat exceptionem, quoties enim regula in uno vitatur, perdit officium suum, officium enim regulæ est tranquillare animû, ut certus sit, in omnibus speciebus subjecti prædicatum obtinere. Quod si regulæ habent exceptiones, frustraneæ sunt, quia fidi illis non potest. Quod igitur vulgo jactatum est, nullam regulam esse sine exceptione, mihi perinde esse videtur ac illud, nunc ego mentior, vel illud scepticorum. Nihil scitur, ne hoc quidem, quod scitur. Ergo ipsa Brocardica ad perfectam universalitatem redigenda, & quæ hoc non patientur, tanquam inepta rejicienda. Sequuntur intermedia ad certas materias restricta, nondum tamen specialissima v. gr. cuicunqve debetur reverentia, ille non est in jus vocandus v. gr. parens, patronus, magistratus coercendi jus habens. Danda igitur opera est, ut, ubicunqve fieri potest, regulæ generales concipiantur ad compendium discendi v. gr. Omnis & solus, qui res alienas in potestate habet, tenetur ad inventarium, aut juratam specificationem. Et contra, qui tenetur ad talem certam specificationem, ille res alienas in potestate habet. Sic in materia torturæ hanc sibi generalem regulam concipit, omnis & solus, qui condemnatur rebus sic stantibus, si causa esset civilis, ille in causa criminali est torquendus. Quia in causa criminali nemo condemnatur, nisi confessus. Ad confessionem igitur cogendus est, qui criminis convictus est. Unde ille etiam torqueri debet, qui exceptionem suam probare non potest, sondern es muß sie auf der Tortur erhalten. Specialissima præcepta ut plurimum juris positivi sunt, & in solennitatibus consistunt, suntque, generalibus demtis, admodum pauca. Sape enim una regula, aut altera, totus aliquis titulus absolvitur. Subtuli sunt forma seu definitio, subjectum, causa, effectus, contrarium seu destructivum. Aggreditur §. 28. Jurisprudentiam historicam, varias variorum populorû leges recensendo,

ex his aliisque omnibus, undecunque collectis, promittit, se confecturum aliquando *theatrum legale*, & in omnibus materiis omnium gentium, locorum, temporum placita *παραλλήλως* dispositurum. In historia Juris Romani, à *Förstero & Jac. Gothofredo* adumbrata, desiderat specialiore recensioem, quid à quolibet Tribuno per plebiscita, aut à quolibet Consule per Seta, a Prætoꝛe per edicta, & Imperatore per constitutiones innovatum sit, donec in hanc formam Jus Romanum crevit, atque hoc se libello, de autoribus Juris Romani, aliquando executurum promittit. Recenset deinceps in §. 29. species historię externę, cum primis Romanę, a primis Reipubl. initiis, & quidem refert in §. 30. autores, qui de Reipubl. libera scripserunt: in §. 31. Qui historiam Augustam, id est ab Augusto usque ad Constantinum M.: in §. 32. Qui historiam Gręcam ante Justinianum tradiderunt. Sequitur historia ecclesiastica, quę, vel totalis est exhibita in centuriatoribus Magdeburgensibus, vel partialis uti rituum, martyrum, patrum, dogmatum, conciliorum, Hæresium, Regiminis Pontificum, ordinum ecclesiasticorum: autores, de singulis hisce materiis agentes in §. 34. 35. 36. 37. exhibentur. Subsequitur historia rerum Germanicarum seu mediæ ævi. Ad intelligendum jus & historiam feudalem faciunt autores in §. 38. commemorati. Excipit hanc historia hodierna ad intelligendum Jus Publicum, secula 16. 17. comprehendens, Jurisprudencia *exegetica* duplex est, alia ex textu, alia ad textum. Illa ad Philologiam juris, hæc ad commentarios juris spectat, illa in applicatione disciplinarum multifariarum ad jurisprudentiam consistit. *Grammatica legalis* ante omnia requirit Concordantias juridicas. Observentur autem vocis significatio, derivatio, apposita, epitheta, opposita: atque hæc juris concordantię nihil aliud sunt quam index verborum §. 41. 42. 43. Has sequitur *Lexicon Juridicum*, quod refert ea quoque ad vocem, quę in libris legum reperta ad eam pertinent, etsi non nominentur, quo spectant synonymię vel

De Jurisprudencia Historica

De Jurisprudencia Exegetica

De Didactica Juridica.

periphrases, homonymia: de Orthographia legali in §. 45. de Rhetorica legali in §. 46. agitur. *Didactica Juridica* est, in qua methodus disponendi, docendi, discendi juris explicatur, quo pertinent variorum reperta mnemonica, vel per versus, vel per figuras, picturasque. Fuit, qui asini figura omnes juris materias representare conatus est. Posses hanc vere pontem asinorum dicere, sed tatisimum mnemonicae genus est, methodus solida & accurata. Coherentiam legum in Digestis apud suos autores magno studio in indice suo concinnavit *Jac. Labitum*, cujus opera effectum est, ut Paulum, Ulpianum, Cajum, Modestinum non laceratos, sed continuos habere nobis videamur. Autores ad Ethicam, Politicam, Physicam, Geometricam, & Arithmeticam Juridicam spectantes exhibet §. 49. Ad Logicam & Metaphysicam Juridicam pertinentes §. 50. Ad hanc Logicam juris pertinent Juris Consultorum rationes definiendi, decidendi, casus formandi per artem combinatoriam. Spectat huc conciliatio Antinomiarum: quod duntaxat Antinomiae, non magis dubitandum, quam de veritate Horatianae sententiae. Atque opere in magno fas est obrepere sonnum §. 51. Praeterea, cum plures operis socios non fisdem semper credibile sit consiliis usos. Imo, quicunque vestigia juris veteris in Digestis supresse tradunt, eo ipso admittunt Antinomias. Volebat enim Justinianus, & profitebatur Tribonianus vetera omnia sublata. Quid dicam de contrariis inter se Jctorum factis? Et suntleges quaedam, ubi in terminis unus alium dissentientem allegat, cujus deinde dissensus alio in Digestis loco expresse reperitur.

De Antinomiis.

De Interpretatione legum.

In §. 53, 54. 55. de interpretatione legum agit, quae vel est simultanea cum alia, vel solitaria cujuslibet pro se. Simultanea est, quando vel series legum ostenditur, vel summa, vel paratita conficiuntur, indeque de serie titulorum legum, de summa tum universali tum particulari librorum juris, & de autoribus huc spectantibus agit. *Paratita* sunt systema legum, ad eandem materiam pertinentium, ex variis civilis contrarum



Clarum §. 59. Ad interpretationem solitariam spectant *commentarii*, quales recensentur ad Institutiones, Digesta, Codicem. Interpretatio alicujus textus est vel realis vel textualis. *Realis* est, quæ elicit certas propositiones ex lege, easque absolute tractat, probando & obijciendo, objectionesque solvendo, si ita videtur. Illic legem offensive, hic defensivae propugnant. Probatio fit per auctoritates & rationes. *Autoritates* sunt leges alie seu loca parallela, item opiniones Doctorum, tanquam auctoritates universales, particulares sunt historiae, seu res judicate in variis dictionibus. Quo pertinent & consilia. Obiectio fit iisdem modis, leges autem obstantes in specie constituunt Antimoniam §. 62. Interpretatio circa textum totalis ad totam legem, partialis ad singula verba est. *Totalis* agit de connexionione legis cum aliis legibus, summa & partitione legis, de autore & historia legis, & occasione, quæ lata est. Quo pertinet inscriptio & subscriptio. Quarum illa autorem, hæc locum & tempus complectitur. Ad historiam pertinet enarrare, quid ea lege profectum sit, quamdiu duraverit, quid alioquin circa eam notabile acciderit, quomodo aliquis veterator ea callide sit abusus. §. 63. *Partialis* interpretatio consistit in textu constituendo, & constitutum explicando. Constitutio textus absolvitur variis lectionibus, & arte critica. Constituti explicatio est vel per aliam linguam necessario seu versionem, vel per quamlibet. *Versio legum* nostrarum Græca ad interpretationem multum facit. Græci enim paraphrasæ & scholiastæ vestitura nostris exemplaribus habuerunt, historiasque legum accuratius pernoverunt. §. 64. Interpretatio per linguam quamlibet, sive eandem sive diversam, vel sensum explicat, & dicitur *paraphrasîs*, vel artes dicendi aut verba applicat, & dicitur *Analytis*. *Paraphrasîs* ita se habet ad orationem, ut definitio ad vocem §. 65. Requisita ejus exponuntur. §. 66. Scilicet ad faciendam paraphrasin seu ad interpretandum ponantur primum omnium vocum definitiones, cumque una vox possit esse ho-

homonyma, seu habere definitiones varias, tentetur cum quibus combinari possit, seu quot fieri possint combinationes definitionum in unam paraphrasin utiles, seu quarum singulae possibiles sunt, inutiles rejiciantur, fiat itaque combinatio cum verbis antecedentibus, & consequentibus, locis parallelis, historia, loco, tempore, ratione, quia in dubio auctor, nisi alia id probent, praesumitur non errasse. Fiat item, & quamprimum quidem, applicatio ad mentem auctoris, affectus, ingenium, voluntatem. Attendatur item ad accentum loquentis, manum scribentis. *Analysis* est applicatio regularum alicujus ex artibus dicendi ad orationem praesentem. Estque Grammatica, Logica, Rhetorica; De Logica §. 67. In *Polemica* Jurisprudentia agit tum de principiis decidendi, tum de collectione decisionum. Principia decidendi sunt ratio ex Jure Naturae, & similitudo ex Jure Civili certo §. 70. De Jure Naturae agit in §. 71. 72. 73. 74. Collectionem decisionum seu controversiarum sistit §. 75. Forma consistit in ordine & modo tractandi, hunc faciunt rationes dubitandi & decidendi, singularem modum, heic adhibendum, exprimit §. 79. Collectiones controversiarum, decisionum, consiliorum sistunt cum auctoribus praecipuis, & judicio de illis. §. 80. 81. 82. Repertoria locique communes quomodo instruendi, demonstrant 84. 85. 86. 87. 88. 89. Ex hisce locis communibus quomodo qualitetque pandectae sint construendae? exhaurit §. 90. Subjungit, absoluta Jurisprudentiae perfectae idea, viam grassandi ad ejus adita, & quid prima juris fundamenta ingressuris observandum addiscendumque sit, indeque tria hujus viae curricula proponit, quorum unum Elementare, alterum Exegeticum, tertium Polemicum est. §. 91. 92. Curriculum elementare continet historiam juris rudem, terminos usitatiores, & praecipua elementaria. Illam exhibet §. 93, istam §. 94. haec §. 95. Curriculum exegeticum & polemicum absolvent §. 96. & 98. In posteriori singulare & valde utile commendat consilium. Subjungit ultimo loco

loco computationem temporis, intra quod studium juris absolvi debet, & deinceps catalogum desideratorum. Computatio temporis hæc est: Anni, Menses, septimanæ.

	A.	M.	S.
Pro historia Juris rudi	-	-	2
Teminis Juris	-	2	2
Præceptis Elementaribus	-	3	-
Summa Curriculi Elementaris	-	6	-
Pro serie titulorum	-	1	-
Institutionibus Universal.	-	4	-
Antinomico minore	-	1	-
Summa curriculi elementaris & exegetici simul	-	1	-
Pro curriculo polemico seu breviario controversiarum	-	1	-
Summa studii Juris	-	2	-
Reliquum tempus lectioni liberæ, peregrinationibus, praxi, & negotiis vitæ tribuendum,			
<i>Catalogus desideratorum hic est,</i>			
1. Partitiones Juris	-	-	§. 7.
2. Sciagraphia juris in artem redigendi	-	-	§. 20.
3. Novum Corpus Juris	-	-	§. 21.
4. Elementa Juris	-	-	§. 23.
5. Reformatio Brocardicorum	-	-	§. 24.
6. Compendium Menochii & Mascardi de Probat. & præsumtionibus	-	-	§. 25.
7. Theatrum legale	-	-	§. 28.
8. Historia Mutationum Juris	-	-	§. 28.
9. Historia Irenica	-	-	§. 40.
10. Philologia Juris	-	-	§. 41.
11. Philosophia Juris	-	-	§. 42.
12. Concordantiæ Juridicæ	-	-	§. 43.
13. Tropi, Formulae, Adagia Juris	-	-	§. 45-46.
14. Arithmetica Juris	-	-	§. 42.
			15. Ad.

15. Antinomicus minor	\$. 52.
16. Institutiones Juris Universi	\$. 53.
17. Institutiones Juris Casarei	\$. 54.
18. Institutiones Juris Saxonici	\$. 54.
19. Summa titulorum	\$. 55.
20. Leges numeratae	\$. 61.
21. Versio legum Germanica	\$. 64.
22. Ars Hermeneutica	\$. 65.
23. Juris Naturalis elementa, demonstrative tradita	\$. 70. seqq.
24. Scientia Nomothetica.	\$. 75.
25. Brevarium Controversiarum Judicatum	\$. 78.
26. Tractatus tractatum reformatus	\$. 83.
27. Bibliotheca Juris	\$. 84.
28. Loca classica seu sedes materiarum	\$. 84.
29. Vitae Juris Consultorum	\$. 84.
30. Repertorium Juris	\$. 85.
31. Pandectae Juris Novi	\$. 90.

Epilogus.

§. LX. Et ita cum opere Leibnitiano claudimus opellam nostram de Prudentia Legislatoria, eiqve cohærentibus disciplinis, hæc en^o per indicem saltem demonstratis, olim verò, si Deus vitam viresq; concesserit, ulterius demonstrandis, ubi, præmissis hisce generalibus, ad particularia descendendum, & quomodo leges in statu ecclesiastico, politico, oeconomico, militari, camerali, & quocunqve alio, ferri debeant, discutiendum erit, quo de jam aliqua tetigimus in *tr. nostro de Jurispr. Illustr.* Si quid dictum scriptumqve heic sit, quod dici non debebat, id dictum scriptumqve non sit, tantum.

S. D. G.



Österreichische Nationalbibliothek



+Z167507109

